CONIECTVRÆ DE VLTIMIS TEMPORIBVS, AC DE FINE MVNDI, EX Sacris literis.

Authore
ANDREA OSIANDRO.



Norimbergæ apud Iohan. Petreium,
Anno Christi. M, D. XLIIII.

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, D. Alberto Marchioni Brandenburgensi, Prusiæ, Stetinæ, Pomeraniæ, Cassuborum, ac Sclauorum Duci, Burggrauio Nurembergensi, ac Rugiæ Principi, Dño suo clementissimo, Andreas Osiander.

CVM hunc libellum multis ac magnis de causis in lucē ædere uellem, Alberte princeps illustrissime, multa me hortabātur ac instigabant, ut eum nomini tuo potissimū inscriberem atq; dedicarem. Principio enim merebantur hoc, cum aliæ præclarissimæ uirtutes tuæ, tum uero excellens humanitas ac beneuolentia, qua non solum uiros insigni aliqua eruditionis ac pietatis opinione celebres prosequeris, uerum etiā me ipsum, qui nihil omnino sum, singulari quodam ac natiuo, ut ita dicam, fauore complecteris. Deinde facile sperabam, huius libelli lectionem illustrissimæ tuæ Celsitudini non ingratam fore quòd multa de quibus ante uiginti annos inter nos contulimus, in eo esset recognitura. Multa etiam noua, sed cognitu longe utilissima ibidem inuentura. Denicg dubitare non poteram, quin illustrissima tua Celsitudo in primis cuperet extare causas, propter quas non modo tot pij, & tot eruditi uiri, uerumetiam tot nobiles, tot illustres, & inter hos

etiam nonnulli regia Maiestate præditi Heroes, baby lonicas illas abominationes sibi deserendas esse iudica uerint. Quarum quidem non solum præcipuas in hoc libello explicaui, uerum etiam fontem ipsum, è quo il læ omnes in uniuersum scaturiūt aperui. Postremo ui debatur mihi ex utilitate publica fore, ut qui hoc meo scripto, de fine mūdi, & iudicio extremo admoniti, ad fugiendas abominationes illas babylonicas excitaren- tur, ijdem etiam hoc dedicationis officio & comme- moratione nominis tui, quasi in rem præsentem facto rū illustrissimæ tuæ Celsitudinis deducti, exemplo tuo confirmarentur, unde uicissim hæc ad te rediret utilitas, ut sic confirmati, rationem factorum tuorum illustrissimæ tuæ Celsitudini, optime constare intelli- gant, atq; fateantur. Neq; uerò me ab hoc dedicatio- nis proposito deterreri passus sum, quòd libellus exi- lior uideri possit, quàm ut tanto Principi recte dedice tur. Semper enim in ea fui sententia, Heroicos uiros propter excellentem ingeniorum uim, ac perspicacita tem (unde illustres dicuntur) longa & operosa rerum explicatione non egere, quinetiam propter multitudi nem negociorum, quibus in administratione rerum occupati sunt, superuacanea moleste ferre. Quare cū in hoc libello agatur de rebus maximis, nempe de bis rediuiua Rhomanæ urbis dominatione, omniū quas hic Sol aspicit famosissima, deq; totius huius munda- næ molis ætate & interitu, item de genuino intellectu, obscu-

obſcuriſsimarū prophetiarum, Danielis & Iohannis, è quibus pręſentis huius Eccleſiaſtici diſsidij, quo concutimur, fœlix cataſtrophe tanquam digito commonſtratur. ſpero eum apud illuſtriſsimā tuam Celſitudinem, tanto fore gratioſiorem, quanto breuiorem. Suſcipe igitur illuſtriſsime Princeps, hoc quicquid eſt opuſculi, ea uultus hilaritate ac animi beneuolentia, qua me quoq; ſuſcipere ac complecti ſoles, illudq; à morſibus inuidorum, interpoſita iudicij tui acerrimi autoritate defende. meq; ſolita illa illuſtriſsimæ tuæ Celſitudinis beneuolentia, quam hactenus neq; temporum, neq; locorū interualla obſcurarunt, perpetuo cōmendatum habe. Nam officia mea qualiacunq; & obſequia, unà cum precibus pro ſalute & incolumitate tua, iam olim Illuſtriſsimæ tuæ Celſitudini, ſemper ac perpetuo fuerunt, eruntq; deuota.

CONIECTVRAE DE VLTIMIS TEMPORIBVS, AC de fine mundi, ex Sacris literis, Authore Andrea Oſiandro.

PRÆFATIO.

ETSI Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Matthæo teſte, diem illum & horam, qua ipſe ad iudicandum uiuos & mortuos reuerſurus eſſet, à nemine mortalium, ac ne ab angelis quidem ſciri, ſed in ſolius Dei patris arbitrio poſitum eſſe, clariſsime pronunciarit: Chriſtianos tamen homines, in ſacris literis eruditos, coniecturis quibuſdam è uerbo, & operibus Dei petitis, ad tempus illud præſagiendum, & quaſi circumſcribendum, non ſolum peruenire poſſe arbitror, uerum etiam ut perueniant conari debere iudico. Non enim dixit dominus noſter: Seculũ illud, aut ætatem illam, aut annum illum aduentus ſui, à nemine ſciri, ſed diem tantum, & horam, aſſerit ignorari. Quin imò aptiſsima etiam ſimilitudine, nos ad inquirendum & obſeruandum tempus illud, blandiſsime inuitauit, & tantum nõ coegit, cum dixit: Incipientibus autem his fieri, ſuſpicite & leuate capita ueſtra, eo quòd appropinquat redemptio ueſtra. A ficu autẽ

disci

discite similitudinem. Quando iam ramus eius tener fuerit, & folia protruserit, scitis quòd iam prope sit æstas. Sic etiam quando uideritis hæc omnia fieri, scitote quòd regnum Dei prope sit in foribus. His autē uerbis, non tantum è statu rerum olim futuro, tanquā in re præsenti, coniecturam faciendam uulgo commisit. Verum etiam paulo sapientioribus, tempus illud optabile, multis ante indagandum & prouidendum seculis mirifice commendauit. Sicut enim agricolæ ingruentem æstatem, ex arborum germinatione cognoscunt, astronomi uerò etiam germinationis tempus ex astrorum motibus definire, & in quantumuis longum tempus prænunciare possunt: ita uulgus Christianorum, appropinquantem mundi finem, ex signis à Christo indicatis iudicare, theologi uero, etiā curricula temporum & ætates, quibus quæq; signa certo uentura sint, è sacrarum literarum mysterijs eruta existimare, et multis ante seculis designare debent. Quod cum ita sit, dicta quædam & facta insignia, propriéq; ad hanc rem pertinentia, quæ in sacris mihi uersanti literis obiter occurrerunt, diligenter animaduersa notaui, & cōiecturas ex eis de fine mundi factas, memoriæ mandaui, quarum nonnullas amicis paulo familiarioribus, in literas relatas priuatim communicaui. Quæ cum à pluribus appetantur, & iam late sparsæ sint, periculum est, ne audaculus aliquis, meis illis coniecturis aliquid non mei admisceat, & alijs meo nomi-

ne, me ignorante obtrudat. Quod ne fiat, ſcriptum illud, quamuis exiguum, ſub manus reuocaui, & alicubi emendaui, alicubi uerò etiam locupletaui, ut eo per typographum ædito, ſimul & fratribus gratificarer, & ne in poſterum à falſarijs corrumpatur, ſecuritatem mihi ipſe præſtarem. Sunt autem coniecturę quatuor (cur enim eas, nõ ut theſaurum etiam numeremus?) quas ordine recenſebo.

CAPVT I.

PRima coniectura ſumit̃ è uerbis Eliæ prophetæ, quæ Iudæi in libris ſuis Thalmudicis oraculi uice, non uno loco recenſent. Extant em̃ in libro עבודה זרה Aboda Zara, capite primo, & in libro סנהדרין Sanhedrin, capite ultimo, & alijs item locis, ad hunc fermè modũ, תנא
דבי אליהו: ששת אלפים שנת הוי עלמא: שני
אלפים תוהו: שני אלפים תורה: שני אלפים ימות
המשיח: ובעונותינו שרבו יצאו מהם מה שיצאו:

Tradidit domus ſeu ſchola Eliæ, dixiſſe Eliam: Sex milibus annorum durabit mũdus. Duobus milibus inane, duobus milibus lex, duobus milibus dies Chriſti. (hactenus Elias, poſtea ſubijciunt Rabbini) Ac propter peccata noſtra quæ plurima ſunt, præterierunt ex eis, quotquot iam præterierunt. Et eſt Oraculum haud dubie fide dignũ, multis de cauſis, tametſi in ſacris literis non ſit expreſſum. Principio enim initit̃ uerbis Moſis in Pſalmo iuxta Hebræos nonageſimo.

ſimo, quibus etiam adſtipulatur ſanctus Petrus, epiſtolæ ſecundæ capite tertio. Quòd ſcilicet, Mille anni apud Dominum ſint, ſicut dies unus. Inde enim ſequitur, quòd ſicut Deus ſex diebus creauit omnia, et ſeptimo die requieuit: ita etiã ſex milibus annorũ, gubernet hunc mundum generationi & corruptioni obnoxiũ, & ſeptimo millenario adducatur requies ſempiterna. De qua ad Hebræos capite quarto ita loquitur Apoſtolus, ut hoc ipſum myſterium nobis ueluti digito commonſtrare uideatur. Deinde mirabiliter cum ſequentibus reliquis cõiecturis omnibus conſentit. Poſtremo à Iudæis ut certum prophetæ oraculum conſtanter celebratur, tametſi contra eorum infidelitatẽ maxime ac manifeſtiſsime pugnet. quod quidem neutiquam ab ipſis fieret, niſi certa & indubitata eius dicti authoritate cogerentur. Adiecta enim clauſula, ingenue confitentur tempus natiuitatis Chriſti, non hac ætate demum aut nuper, uerũ iam olim, tum ſcilicet, cum opus illud Thalmudicum circa annum Domini noſtri quadringenteſimũ triceſimũ ſextum, publicaretur, elapſum fuiſſe. Vnde manifeſtum eſt, ipſos iam pluſquam mille & centum annis, fruſtra aliũ Meſsiam, quàm Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ expectaſſe. Cuius quidẽ rei cauſam, falſo in ſua ipſorum peccata conijciunt, cum Chriſtus illis ad certum ac prædefinitum tempus ita promiſſus fuerit, ut neq; propter illorum peccata tardius, neq; propter iuſticiã

citius nasci debuerit. qua de re aliàs fortasse plura. Quanquam quidam è nostris hanc clausulam de tempore natiuitatis Christi iam olim elapso, ad finē mundi trahere nitantur, quasi propter peccata nostra multum illis annorū sex milibus defuturū sit, quo minus compleantur. Verum eum sensum, quamuis alioqui proposito nostro accommodatissimum, hebræa uerba non recipiunt. Est igitur sensus huius oraculi. Mundum ex eo tempore, de quo Moses dixit: Terra aūt erat inanis & uacua, circiter annorum duo milia durasse, anteq̄ circuncisionis lex cum suis appendicibus Abrahamo traderetur, de quibus Geneseos uigesimo sexto capite ita legimus: Benedicent̄ in semine tuo omnes gentes, eò quòd obedierit Abrahā uoci meę, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legesq́ seruauerit. A tempore autem traditæ circumcisionis Abrahamo, usq; ad Christum, duobus alijs annorum milibus fuisse duraturū. Quod cum res ipsa, uerum fuisse & sic euenisse manifestissime comprobet (nam Christus ab orbe condito, circiter quater millesimum annum passus est.) Quis non credat, id quod superest, etiam à ueritate non abhorrere? nempe quòd à Christo usq; ad finem mundi, nullo modo amplius (fortassis autem multo minus) quàm duo milia sint decursura, id quod Eliæ oraculum suo quodam modo nobis insinuat. Cæterum, quòd aliquot anni de ultimis duobus millenarijs transierint, & tamen Christus,

ſtus, ut Iudæi putant, nondũ uenerit, propter ſua ipſorum peccata factum uideri uolunt, ſed fruſtra. Venit enim Chriſtus, iuxta hoc Oraculũ, ita ut circiter quatermilleſimum conditi orbis moreretur, reſurgeret, et in cœlum aſcenderet, in fine mundi iterum inde uenturus ad iudicandum uiuos & mortuos. Quòd autem Iudæi, ab orbe condito, ad Chriſtum uſq;, ducentis annis ferè minus numerant quàm nos, in cauſa ſunt, cum alij multi errores, tum uerò ille omnium maximus, quòd Dariũ Hiſtaſpis, ſub quo templum ædificatum eſt, & Darium ab Alexandro magno deuictum, pro eodem habeant, ac ſex tantum annis regnaſſe putent, cum ab initio regni unius, uſq; ad finem alterius, etiam ſecundum Ptolemæum centũ nonaginta duo anni interceſſerint. quam rem diligenter excutiemus in Chronologia noſtra, deo uolente. Hanc coniecturam adiuuãt etiam Henoch, & Elias ipſe, qui ambo uiui ex hac ærumnoſa uita, ad beatam immortalitatem, morte non guſtata, translati ſunt. Sicut enim ſex primæ generationes, ſcilicet, Adam, Seth, Enos, Cainan, Mahalaleel, Iared mortuæ ſunt, ſeptima autẽ generatio, ipſe ſcilicet Hanoch, quem & Iudas in epiſtola ſua ſeptimum ab Adam, non ſine cauſa prędicat, immortalis eſt: Ita ſex millenarijs mũdi, mors regnabit, ſeptimo aũt beata immortalitas uigebit. Et ſicut prima ſex ſecula morti obnoxia fuerunt, ab Adamo ſcilicet uſq; ad Eliam, ſeptimũ autem, Eliæ ſcilicet, immor

talitatem adipiſcitur. Nam Elias uiuus, in igneo curru raptus eſt, ita etiam ſex millenarijs mortalis hæc uita durabit, ſeptimo uerò ingruente Chriſto in cœlum obuiam rapiemur. Seculum autē uoco, quàmdiu homo uiuit. Vixit itaq; Adam, uſq; ad Methuſelam, Methuſela autem, uſq; ad Sem, Sem autē, uſq; ad Iacob, Iacob autem, uſq; ad Amram, Amram autem, uſq; ad Ahiam Silonitem, Ahias autē, uſq; ad Eliam, qui tranſlatus eſt. His cōiecturis etiā uſus eſt Ioh. Picus Mirandulanus, cum anno domini M. CCCC. LXXXVI. currente, inter noningentas ſuas diſputabiles cōcluſiones etiam hanc poſuit: Si qua eſt de nouiſſimis temporibus humana coniectura, inueſtigare poſſumus, per ſecretiſſimā uiam Cabbalæ, futuram eſſe conſumationem ſeculi, hinc ad annos quingentos quatuordecim, & dies uigintiquinq;. Verum magnis de cauſis, ut ſupra nonnihil inſinuauimus, conijcimus, ſextum Millenarium nequaquam completum iri. Nam ſicut in lege, ſexta dies non tota conceſſa eſt ad operandum, ſed inſignis aliqua pars eius adijcit̄ ſabbatho, circa ueſperum. Ita ſextus millenarius non totus cōcedetur huic mortali uitæ, ſed luculenta pars eius circa finem reſecabitur, atq; à beata illa & æterna requie præoccupabitur, id quod in ſequentibus coniecturis clarius apparebit.

CAPVT II.

Secunda

SEcunda coniectura ſumit̃ è uerbis Chriſti, quæ legunt̃ Matthæi uigeſimo quarto, & Marci decimotertio capitibus, ad hũc modũ: De die aũt illa & hora nemo nouit, ne angeli quidem cælorũ, necꝫ ipſe filius, niſi pater meus ſolus. Sed ſicut erant dies Nohæ, ſic erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuiũ edentes & bibentes, matrimonia contrahentes, & nuptum dantes, uſcꝫ quo die intrauit Nohas in arcam, & non cognouerunt donec uenit diluuium, & ſuſtulit omnes. Sic erit & aduentus filij hominis. In iſtis enim uerbis uidetur Chriſtus non qualitatem tantum, ſed & quantitatem temporum comparaſſe. Qualitatem autem temporum uoco, mores illorum ſeculorũ corruptos. Quantitatem uerò numerũ annorum. Ac de qualitate quidem dubitari non poteſt, cum Chriſtus aperte dixerit, etiam Lucæ decimo ſeptimo capite: Quòd ſicut in diebus Nohæ & Loti, ediderint, bibe-rint, uxores duxerint, nupſerint, emerint, uendide-rint, plantarint, ædificarint: ita etiam futurum ſit, quũ filius hominis reueletur. De quantitate uerò ſeu numero annorum, etſi res in obſcuro eſt, aliquatenus tamen relucet, ac ſeſe aperit, cum Matthæus abſolute dicat: Sicut erant dies Nohæ, ſic erit & aduentus filij hominis, præſertim, cum Paulus ad Rhomanos quinto capite aſſerat, Adamum fuiſſe formã futuri Chriſti, ſicut & in prima ad Corinthios decimoquinto, è Chri

sto facit alterum Adamum, dicens: Factus est primus Adam in animam uiuentem, extremus Adam in spiritum uiuificantem. Primus homo de terra terrenus, secundus homo, dominus ipse de cœlo. Iam si Christus est alter Adam, cuius ille prior forma fuit, & aduentus Christi futurus est sicut dies Nohæ circa diluuium, quis non credat, quòd quantum temporis effluxerit ab Adamo terrestri usque ad dies Nohæ & diluuium aqueum, tantundem etiam effluxurũ ab Adamo cœlesti, qui est Dominus noster Iesus Christus, usque ad finem mundi & diluuium igneum? De quo apostolus Petrus ait: Adueniet autem dies Domini sicut fur in nocte, quo cæli procellæ in morẽ transibunt, elementa uerò æstuantia soluentur, terraque, & quæ in ea sunt opera exurent. Et iterum idem inquit: Per quem cæli incensi soluentur & elementa æstuantia liquescent. Manifestum est autem ex capite Geneseos quinto, ab Adamo ad diluuium effluxisse annos mille sexcentos quinquaginta sex. Verisimilimũ igitur est Anno domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto finem mundi instare & præ foribus esse, qui iam non plus quàm centũ duodecim annis abest. Nisi forte anni domini hac in parte non à natiuitate eius, sed à resurrectione, ascensione, & spiritus sancti misione numerandi sint. Sicut autem Nohas diem quidem & horam diluuij nesciuit, donec dominus eum iuberet ingredi arcam, annum autem sciuit, cum deus illi prædi

xisset,

xiſſet, ſe hominibus adhuc centum uiginti annos pœnitentiæ ſpacium concedere. Ita & nos, tametſi diem & horam aduentus domini prorſus ignoremus, annũ tamen ſi è ſacris literis elici poſſe credamus nihil faciemus abſurdi.

CAPVT III.

Tertia coniectura ſumitur à tempore natiuitatis Chriſti uſq; ad eius paſsionem & reſurrectionem, quod eſt triginta trium annorum, & aliquot dierum, quorum numerus adhuc nos latet. Fuit enim omnino, cum à Iohanne baptizaretur, triginta annorum completorũ. Quanquam alijs aliter uideatur, nempe quòd tum recens attigerit annum triceſimũ. Sed illi multum errant, ignorantes diſcrimen, quod eſt in lingua hebręa, inter iſtas duas loquẽdi formulas, & ſimiles, cũ dicunt, Aliquid factum eſſe anno triceſimo, & aliquem eſſe annorum triginta. Quicquid enim, poſt uigeſimum nonum annum completum, toto ſequente anno geritur, triceſimo anno factũ eſſe recte dicitur. homo autem triginta annorũ eſſe nullo modo pronunciat̃, niſi triceſimo ætatis eius cõpleto & inſuper uno die, præſertim ubi res ad ætatis dignitatem refertur, ut cum leuitæ triginta annorum idonei ad cultum diuinum cenſentur, trigeſimum eos annũ & unum diem compleuiſſe oportet. Cum autem Chriſtus uenerit, nõ ad legem ſoluendam, sed complendam, factus ſub lege, ut nos à ſerui-

tute legis liberaret, dubitari non potest, quin etiã hac in parte legem obseruauerit. nec docendi munus publice usurparit ante trigesimum ætatis suæ annũ completũ. Neq; obstat huic sententiæ particula ὡσεὶ, in Luca, quæ significat, quasi. nam Lucas neutiquam fluctuat in numero annorum Christi, sed respicit ad diuinam eius naturã, quasi dicat: Ille dei filius qui ab æterno in sinu patris est, assumpta serui forma, uersatur inter homines, perinde ac si esset tantum triginta annorum. Non enim debuit eneruari pulcherrimum illud & maxime insigne Christi dictum: Antequam Abraham fieret, ego sum. Et quo minus dubitare possimus hac tota de re, certos nos facit astronomia. Nam anno Christi tricesimo quarto currente, planè tale pascha, calculo astronomico ex Ptolemæo petito deprehendimus, quale nobis in passione Christi describunt Euangelistæ, hoc est, quôd reuera fuit die Veneris, quemadmodum Christus illud unà cum suis discipulis obseruauit. à Iudæis aũt in proximum sabbathum translatum fuit, quemadmodũ hodieq; solent; ne duo magna festa, in quibus ne ignem quidem accendere licebat, continuarentur. Quæ res tot non æstimandis laboribus à Paulo episcopo Semproniensi quæsita, nec tamen fuit inuenta, hanc unam ob causam, quòd non satis animaduertit, Iudæos primam diem mensis non numerare à cõiunctione Solis & Lunæ proxime præcedẽte, sed ab ea uespera, qua nouam Lunam uisam

esse

eſſe, idonei teſtes Hieroſolymitano Senatui proba-
bant, uel uideri potuiſſe. docti aſtronomi euidenter
demonſtrabant. Sed hac de re iam ſatis, redeamus ad
propoſitum. Cum igitur Chriſtus dominus noſter na
tus ex uirgine Maria ſecundum carnem, in hac ærum
noſa uita noſtra, triginta trium annorum & aliquot
dierum ſpacio, nobiſcum uerſatus ſit, uériſimillimum
eſt, eundem etiam, ex incorrupta uirgine, ſcilicet Eccle
ſia ſancta catholica per liberam confeſsionem & ſynce
ram doctrinam Euangelij ſpiritualiter natum, uer-
bo ſuo totidem annis, ſed magnis, in hoc mundo uer-
ſaturum. Sunt autem duo genera annorum magnorũ
in ſacris literis, Vnum Angelicum, Alterum Moſai-
cum: Annus Angelicus conſtat ex tot annis ciuilibus
noſtris, ex quot diebus noſtris conſtat annus noſter ci-
uilis: Nobis enim qui cælo incluſi ſumus, curſus ſolis
ab occidente in orientem, & rurſus ab oriente in occi-
dentem, diem abſoluit, id quod fit ſpacio uiginti qua-
tuor horarum, Angelis autem, qui extra & ſupra glo
bos æthereos uerſantur, dies eſt, quem ſol in Zodiaco
ab auſtro in aquilonem, & ab aquilone rurſus in au-
ſtrum. circumuoluendo conficit, id quod fit ſpacio u-
nius anni ciuilis noſtri. Tales dies intelligit etiam
Chriſtus, Lucæ decimoſeptimo, cum Herodi iubet re
nunciari, & dici: Ecce ejcio dæmonia, hodie, & cras, et
tertia die conſumor. Verum tamen, oportet me ho-
die, & cras, et perendie ambulare, qua fieri non poteſt,

 ut

ut propheta pereat extra Hierosolymam. Hæc enim nullo modo possunt intelligi, de diebus ciuilibus, sed de tribus integris annis, quibus Christus dominus noster prædicauit ac miracula fecit, antequam Hierosolymis crucifigeretur. quia tres anni nostri, sunt tres dies angelici. Igitur quot diebus nostris constat annus ciuilis noster, tot annis nostris, angeli definiunt annũ suum, uocantq́; eum, sicut & nos nostrum, hebraice מועד, Caldaice autem עידן, id est tempus. Et hunc annum angelicum, utplurimum etiam deprehendimus in Daniele propheta. Annus autem magnus Mosaicus, est spacium quinquaginta annorum ciuilium nostrorum, à Iubilæo scilicet ad Iubilæum. Sicut enim anno nostro ciuili, totius agricolationis, redit labor actus in orbem, ut Virgilius inquit, ita anno Iubilæo omnes Israelitæ redibant ad pristinas possessiones patrum suorum, & tota ratio uitæ ciuilis nascebatur ab integro. Et annus quidem angelicus non quadrat ad hanc tertiam nostram cõiecturam. Si enim ecclesia deberet in hoc seculo durare annos angelicos triginta tres, & paulo plus, exuperatura esset ea summa annorum ciuilium nostrorum duodecim milia. cum tamen ne mundus quidem ab origine sua ultra septem milia durare debeat, iuxta dictum Eliæ supra traditum. Magnus autem annus Mosaicus, Iubilæus scilicet, optime quadrat. Nam triginta tres Iubilæi, conficiunt annos nostros ciuiles Mille sexcentos quinquaginta,

quibus cum adduntur pauci anni, pro portione dierum, quibus Christus ultra tres & triginta annos inter nos uixit, æquabit ferè dies Nohæ, id est: numerum annorum à condito orbe & Adamo terreno, usque ad diluuium aqueum, de quo supra in secunda coniectura diximus. Sed age dispiciamus, an singulis Iubilæis ecclesiæ ad singulos annos uitæ Christi adhibitis, aptam rerum gestarum similitudinem possimus eruere, ut si res ipsæ in hac temporum coaptatione inter se se consentiant, tempora quoque inter se recte comparata esse minime ambigamus. Principio igitur, sicut nato domino nostro Iesu Christo secundum carnem, ex Maria uirgine, claritas dei circumfulsit pastores, didiceruntque cælitus, Christum natum, esse SALVATOREM, quem reperturum essent inuolutum pannis in præsepio, ut scribitur Lucæ secundo. ita etiam nato Christo spiritualiter, post resurrectionem, per prædicationem Euangelij, ex uirgine incorrupta, ecclesia, ueros pastores, scilicet apostolos, circumfulsit gloria domini, spiritu sancto in linguis igneis super eos effuso, qui testificabatur de Christo, eumque clarificabat, docens eos omnia, ut intelligerent scripturas, & Christum in eis, ueluti pannis inuolutum deprehenderent. Item sicut Christo nato, Herodes occidit pueros, sperans se Christum quoque inter eos occisurum. Ita Christo prædicato, princeps huius mundi, occidit Christianos paruulos, id est nouiter per fidem in Christum renatos,

ſperans ſe doctrinam Chriſti quoq; unà cum illis extirpaturũ, ſed uterq; ſua ſpe fruſtratus eſt. Item ſicut Chriſtus natus, manſit ſub Ægyptijs uſq; ad mortem Herodis, & regnum Archelai, hoc eſt uſq; ad ætatis ſuæ annum ſextum ferè completum, ita Chriſtus prædicatus, latuit ſub ſpirituali ægypto, id eſt ſub duplici perſequutione, tyrannorum ſcilicet & hæreticorum, uſq; ad ſextum eccleſiæ Iubilæum, hoc eſt, uſq; ad finem Diocletiani. מצרים enim, id eſt Ægyptus, hebræis iuxta ueram etymologiam, ſignificat perſequutores, ſiue perſequutiones, numero duali. Item ſicut Maria uirgo Chriſtum anno duodecimo Hieroſolymis penè amiſiſſet, eumq́; fruſtra inter cognatos & notos quæſiuit, ſed in templo dei tandẽ, inter doctores, interrogantem, & reſpondentem reperit, ita uirgo Eccleſia Iubilæo duodecimo, id eſt circa annum dñi ſexcenteſimũ, uarijs infeſtata & turbata hæreſibus, maxime Arianorũ, Eunomianorũ, & Sabellianorũ, ex quibus deinde Mahometes pullulauit, Chriſtũ penè amiſiſſet, & amiſiſſet omnino, ſicut & Mahometani amiſerunt, niſi eũ in tẽplo dei, id eſt, in ſacris ſcripturis inter doctores, ſcilicet ꝓphetas, interrogantẽ & reſpondentẽ reperiſſet. Inerrogat aũt prophetas, quia nihil neq; facit neq; docet, quod non ſit à ꝓphetis prędictũ & conteſtatum, & reſpondet ijſdem, quia omnia quæ illi prædixerunt re ipſa præſtat, & implet. Item ſicut Chriſto nato, Iſraelitæ nonnulli paſtoribus, Symeoni,

& alijs

& alijs, de Christo crediderunt, & reuelationem eius summo desyderio expectarunt. cæteri uerò Israelitæ omnes quamuis soli tunc populus dei uiderentur, sectis pharisæorum, & zaduceorum infecti, & seducti, Christum ignorabant, ac nihil curabant usq; ad prædicationem Iohannis Baptistæ, & tricesimum annum Christi. ita Christo prædicato, nonnulli apostolis ac martyribus uere crediderunt, & Christi synceram cognitionē hauserunt, ac in posteros propagarunt. cæteri autem nomine tantum Christiani, quamuis propter speciem externam ceremoniarum, & operum electiciorum, soli ecclesia dei esse uidebantur, aut zaduceorum epicurismo, aut hypocritarū pharisaismo, infecti ac seducti Christum ignorauerunt, ac nihil curauerunt, usq; ad Iubilæum ecclesiæ tricesimum, id est annum dn̄i circiter millesimū quingentesimū. Item sicut post duodecimum annum Christi, usq; ad tricesimum eius, nihil de eo legimus, nisi quòd parentibus subditus, & idiota, ac faber fuerit, interq; idiotas uersatus sit. ita post duodecimum ecclesiæ iubilæum, usq; ad tricesimum, id est à Foca imperatore, qui Papatū seu primatum publico edicto stabiliuit, ad nostram ferè usq; ætatem, doctrina Christi penes idiotas fuit, qui Symbolo apostolorum, & sacramentis contenti, idolatrias, sectas, iusticias, merita et indulgentias papistarū, aut prorsus ignorauerunt, aut certe neglexerūt. hunc præcipue fructum suæ fidei ostendentes, quòd maio

ribus simpliciter & ex animo obedierunt, quatenus id sine iactura pietatis fieri potuit. cum interim ponti fices, pharisæi, zauducęi, scribæ, legisperiti, omnes ad unum ferè, neglecta & amissa doctrina Christi, in doctrinis et traditionibus hominum, imò & dęmoniorũ, ut Paulus ait, prorsus essent submersi & excæcati. Item, sicut post tricesimum Christi nati annum Iohannes baptista in deserto prædicauit pœnitentiam, & baptismum pœnitentiæ, ut præpararet Christo plebem idoneam, quem deinde digitis ostendit. ita post tricesimum ecclesiæ iubilæum, restituta est ecclesiæ uera & syncera doctrina legis, de cognitione peccati originalis, & aliorum uitiorum, de uera pœnitentia & mortificatione ueteris hominis, qui est uerus & spiritualis baptismus pœnitentiæ, ut populus idoneus fiat ad hauriendam doctrinam euangelij, quam doctrina legis, quasi digito nobis ostendit. finis enim legis est Christus, ad salutem omni credenti, ut inquit Paulus. Item sicut Christus post Iohannẽ statim incipit prædicationem euangelij: ita & hoc nostro tempore sanam doctrinã legis, statim sequuta est sana doctrina euangelij, de remissione peccatorum propter Christum, & iusticia fidei. Item, sicut neq; Iohannes, neq; Christus docuerunt publice, in templo Hierosolymitano, eo quòd pontifices, scribæ, et pharisæi non potuissent eos ferre, sed docuerunt, aut in deserto, aut in Galilæa, ubi profanus magistratus rerum potiebatur & non pon-

tifices. ita & nostro tempore, nec doctrina legis, nec euangelium, locum habent in regno pontificum & pharisæorū, sed aut priuatim, quasi in deserto, aut certe sub pijs principibus, tantum auditur hæc doctrina syncera & salutaris. Item sicut Satan tempore Christi uarios excitauit tumultus, primum per Theudā, qui se dicebat esse aliquē, deinde & per Iudam Galilæū, qui auertebat populum, ut doctrinam Christi, tanquam illorum tumultibus similem, etiam seditionis efficeret suspectā, ita & nostro tempore excitauit Carolostadios, Zuinglios, Oecolampadios, & similes, qui uolebant esse aliquid. item Muntzeros, Schappeleros, Anabaptistas, & similes, seditionū authores, ut euangelij doctrinam fœliciter renascentem, suspectam redderet, & inuisam, sed frustra. Pereunt enim tales, & discipuli eorum dilabunt̃, salua euangelij doctrina. Item sicut Christus statim circa initium suæ prædicationis, hoc est primo paschate, eiecit ementes & uendentes è templo, ita & doctrina euangelij, statim ut orta est, post tricesimum ecclesiæ iubilæum, eiecit ementes & uendentes indulgentias, & alias huiusmodi nugas, & feces papisticas. ex ecclesia. Possem & alia multa recensere, sad desino, breuitatis causa. Tum quia hæc satis superque sunt, ad probandum, quòd annis uitæ Christi exacte respondent iubilæi ecclesiæ. Tum quia pij & in sacris literis recte eruditi, per sese plura inuenient. Demum etiam, quia nolo aduersarios Christi obstinatos

& su-

& furijs agitatos, cautiores, & ad nocendum astutio- res reddere. oportet enim eos in lapidem offensionis impingere, ut cadant irreperabiliter. & cõterantur, & irretiantur, & capiantur, ut Esaias inquit. Cæterum cum re ipsa comperiamus, iubilæos ecclesiæ, cum annis uitæ Christi tam apte conuenire, quis non persuasum habeat, ecclesiam tricesimum quartum iubilęum, in hoc mundo non completuram? sicut neq; Christus tricesimum quartum ætatis suæ annum in hoc mundo compleuit, sed eo nondum ad dimidium elapso, ad cælos ascendit? Quare uerisimillimum est, post tricesimum tertium ecclesiæ Iubilæum, hoc est, post annũ uel à natiuitate, uel à resurrectione domini, Millesimũ sexcentesimum quinquagesimum admodum breue tempus superesse ad finem mundi, quod quidẽ quantulum sit futurum, nemo determinare potest, nisi qui natalem Christi diem certo cognouerit, quẽ sub bruma fuisse mihi non sit uerisimile, cum sub horam natiuitatis eius, pastores ouiculas suas, etiam noctu, sub dio continuerint.

CAPVT IIII.

QVarta coniectura, quæ est omniũ euidentissima, sumitur ab urbe Rhoma. Nam Sacra scriptura clarissime testatur, Vrbem Rhomam, summam dominationem, omnino, bis obtenturam, & in utraq; certum annorum numerum, duraturam esse. Porro urbe Rhoma secun

dario extincta & deleta, non est dubium finem mundi adesse præ foribus. Prima autem dominatio, fuit ciuitatis Rhomanæ, secunda uerò est Curiæ Rhomanæ. Primam describit Daniel propheta capite septimo, quæ durauit usq; ad Constantinum Magnum & paulo amplius. Secundam describit Paulus in secunda ad Thessalonicenses capite secundo. Itē Iohannes in Apocalypsi capite decimotertio & decimoseptimo, quæ durabit posthac non diu. Quare utrosq;, de utraq; audiamus, seorsim, & primo Danielem, de priore, sed sic, ut si necesse sit, aliquid interloquamur, uel interpretandi, uel certe admonendi, & excitandi causa. id enim plurimum conducet cum breuitati, tum etiam perspicuitati. Ad hunc autem modū scribit DANIEL. Videbam in uisione mea nocte, & ecce quatuor uenti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes, ascendebant de mari, diuersæ inter se. OSIANDER. Angelus in Apocalypsi capite decimoseptimo, dicit ad Iohannem: Aquæ quas uidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ. Mare igitur magnū, colluuies est omnium gentium totius orbis terrarum, ex quibus oriuntur quatuor magna regna in hoc mundo. DA. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ. aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & sup pedes quasi homo stetit. & cor eius datum est ei. OS. זרת מלכות בבל יהא, i. Hoc est regnū babylonicū. DA. Et ecce be

ſtia alia ſimilis urſo in parte ſtetit, & tres ordines erãt in ore eius & in dẽtib. eius, et ſic dicebãt ei: Surge comede carnes plurimas, O S. זרת מלכות׃מדיית ופרסיית .i. Hoc eſt regnũ Medicũ & Perſicũ. D A. Poſt hęc aſpiciebam, & ecce alia, quaſi pardus, & alas habebat quaſi auis quatuor ſuper ſe, & quatuor capita erant in beſtia, et poteſtas data eſt ei. OS. זאת מלכות יווניית .i. hoc eſt regnum Græcum. D A. Poſt hæc aſpiciebã in uiſione noctis. Et ecce beſtia quarta, terribilis atq; mirabilis, & fortis nimis. O S. זאת מלכות רומיית .i. Hoc eſt regnum Rhomanum. Et hic Chriſtiane lector, diligenter conſidera, & perpende, numerum nominis huius beſtiæ. D A. Dentes ferreos habebat magnos, comedens atq; comminuens. O S. quia claruit uirtute bellica. D A. Et reliqua pedibus ſuis conculcans. O S. Quia uictos tyrannide oppreſsit. D A. Diſsimilis autem erat cæteris beſtijs, quas uiderã ante eam, & habebat cornua decem. O S. Sicut octauo capite Daniel recenſet ſe uidiſſe hircum caprarum, qui habebat cornu inſigne inter oculos, quo effracto, orta ſint quatuor cornua ſubter illud, ſignificans, poſt Alexandrum magnũ, quatuor reges, qui ſimul, quiſq; ſuo in loco regnarent, fuiſſe orituros, nempe Antigonum in Aſia, Seleucum in Syria, Ptolemæum in Ægypto, & Antipatrum in Græcia. ita & hic per decẽ cornua, ſignificat decem prouincias conſulares imperij rhomani, quibus totidem uiri conſulares quiſq; ſuæ

prouin

prouinciæ, quam sortitus erat, cum summo imperio præsidebant. Quôd autem imperium Rhomanum, in decem prouincias consulares, nec plures, nec pauciores diuisum fuerit, & quòd, si aliqua consularis fiebat, quæ prius prætoria fuerat, alia è regione, quæ prius consularis fuerat, numero eximebatur: cum reliqui historiographi passim, tum uerò Strabo, in fine suæ geographiæ satis clare testatur. DA. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum oriebatur de medio eorum, & tria de cornibus eius primis euulsa sunt à facie eius. OS. Hoc cornu paruulum C. Iulius Cæsar est, qui cum in Gallia, ut unum è decem cornibus, res fœliciter gereret, domi uerò, quo minus in consulatu petendo, absentis eius ratio haberetur, inimici eius, per inuidiam obstarent, relicta uocatione, in qua fuerat, patriæ bellum infert, & sic nouum cornu fit, paruulum quidem, sed quod cito grandescit, & in caput, quod os & oculos habet euadit, ut deinceps audiemus. itaq; bello ciuili conflato, tria cornua, id est tres uiri summo imperio præditi, & exercitus contra ipsum ducentes, duo scilicet consules, & Pompeius, à facie eius sunt euulsi, Id est uicti, non ut illa tria cornua funditus extirparentur, & septem tantum remanerent, sed ut angelus paulo post interpretabitur, tantum humiliarentur, manserunt enim decem cornua. DA. Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia. OS. hoc est quod dixi,

cornu illud paruulum cito grandescit & mutatur in caput. Nam per C. Iulium Cæsarem, introducta est monarchia Cęsarum, quæ non fuit unum è decem cornibus, sed unum è septem capitibus, de quibus in apocalypsi clarius audiemus. Scio aũt quosdã magni nominis uiros, à quorũ iudicio, neq; temere, neq; libẽter discedo, putare hoc cornu paruulũ, fuisse Mahometẽ illũ impiũ, sed quia hoc regnũ Rhomanũ, de quo Daniel hic loquitur, funditus perijt, antequã Mahometes ille nasceret̃, & quia Mahometes Rhomani imperij membrum nunquam fuit, nec Iohannes in decem cornibus posterioribus eius meminit, non dubito eorum sententiam, quod quidem bona illorum pace fieri exopto, simpliciter esse repudiandã. DA. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. OS. Antiquus dierum deus pater est, qui sedet ad iudicandum, & damnandum, quatuor illa magna regna, eo quòd Christo noluerunt obedire, sed uerbum eius repudiauerunt, & apostolos cum multis milibus martyrum occiderunt. Hoc iudicium dei occultum. mundus nec hodie intelligit, sed deus pater non frustra dixit ad Christum, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorum. DA. Vestimentum eius candidum sicut nix, & capilli capitis eius quasi lana mũda, thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ig. is accẽsus, fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius, milia milium ministrabant ei, &

decies

decies centena milia aſſiſtebant ei, iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. O S. Non ſolum deus pater ad iudicandum ſedit, uerum etiam alij, ſiue angeli, ſiue piorũ propter Chriſtum occiſorum animæ, & libri, in quibus cõſcripta erant, horribilia facinora iſtarum beſtiarum, ſeu regnorum, propter quę, damnata & damnanda, ac funditus etiam extirpanda erant, aperiuntur & leguntur. D A. Aſpiciebam propter uocem ſermonũ grandium, quos cornu illud loquebatur. O S. Cornu illud monarchia Cæſarum eſt à C. Iulio Cæſare introducta, quæ Chriſtum & doctrinam eius blaſphemauit, edicta publica contra Chriſtianos propoſuit, apoſtolos occidit, multa milia martyrum crudeliſſime trucidauit, dæmones pro dijs adorandos præcepit, ad ſacrificandum illis multos coegit, & quis enumerare poteſt grandes illas atq; horribiles contra deum uerum blaſphemias, quas impia Rhoma tunc ſanguine ſanctorũ ebria euomuit? D A. Et uidi quoniam interfecta eſſet beſtia, & perijſſet corpus eius, & traditum eſſet ad comburendum, aliarum quoq; beſtiarum ablata eſſet poteſtas, & tempora uitæ conſtituta eſſent eis uſq; ad tempus & tẽpus. O S. Deus pater iam olim, omnibus regnis huius mundi ſummum imperiũ abrogarat, & Chriſto unigenito filio ſuo, decreto cælitus promulgato attribuerat, cum diceret, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, I P S V M A V D I T E, Non ut poſtea regna & imperia non eſſent.

uult enim deus esse regna, esse imperia, geri magistratus, administrari rempublicam, uigere leges & iudicia, defendi bonos, puniri sontes, sed ne omnia pro libidine sua gererent, quemadmodum hæ quatuor bestiæ fecerant, quæ neq; deum neq; homines metuerãt, aut curauerant, Quin potius uult, ut in Christum credant, illi obediant, uerbo eius erudiantur, & sic subditos regant, ut se quoq; in cælis dominum habere sciant, ac præ se ferant. Verum impia rhoma, hoc cæleste dei patris edictum contemnit, resurgentem à mortuis Christum, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, non agnoscit. apostolis non credit, miraculis non cedit, constantia martyrum non frangitur, nec ulla suppliciorum crudelitate, quæ pijs inflixit exsaturatur, sed rebellis manet & blasphema. IDEO deus pater, summus iudex & monarcha, in cælesti consessu, lata diffinitiua sententia, adiudicat eam morti, Qua sententia lata, maiestas imperij, tanquam anima corporis illius bestiæ, emigrat, per Constantinum magnum Constantinopolim translata. corpus eius deinde, effuso super illud contemptu, putrescit, & quasi tabe diffluit, rebellantibus omnibus ferè gentibus, & Italiam deprædantibus, donec tandem Rhoma per Gothos uastata & igne concremata est, post mille ferè ac ducentos annos, quàm condita fuit. Et hic est finis, hęc sepultura, prioris regni Rhomani, quod ut diligenter meminisse uelis, te Christiane lector, etiam atq; etiam admo=

admoneo. Aliæ aũt bestiæ, summũ imperiũ iam olim amiserant,& uix miseras aliquas reliquias, prioris maiestatis retinebant, quas tamen, quia Christum repudiarant, etiam amittunt. Nullus enim angulus in toto mũdo fuit, in quo regna & imperia illo seculo, quo & Rhoma cecidit, non aut funditus euerterentur, aut certe insigniter mutarentur. Sed audiamus porro Danielem. D A. Aspiciebam ergo in uisione noctis,& ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum peruenit,& in conspectu eius obtulerunt eum,& dedit ei potestatem & honorem,& regnum, et omnes populi, tribus, et linguę ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur,& regnum eius quod nõ corrumpetur, horruit spiritus meus. ego Daniel territus sum in his, & uisiones capitis mei conturbauerunt me. O S. Hæc est altera pars huius diuini ac cælestis iudicij, quo Christus dominus noster, extincta dominatione urbis Rhomæ, in possesionem imperij mittitur, & ecclesia deinceps Christianos imperatores sortitur, ut Constantitinum magnum,& similes, qui Christum regem regum,& dominum dominantium agnoscunt. Pulchre autem describit Christum, filium hominis appellans, qui unà cum nubibus, ascendit è terris ad cælos,& ad antiquum dierum peruenit, iussus considere à dextris eius, donec inimicos ipsius, scabellum pedum eius efficiat. quod cum apud potentes frustra per euangelium

tenta-

tentatur aliquandiu, nolunt enim credere & cedere, tum perduntur tandem & extirpantur. Christus aūt deo patri offert, ut qui solus dignus sit accipere uirtutē, & diuitias, et sapientiā, & fortitudinē, & honorē, & gloriā. Apo. 5. Id quod iudicio patris comprobatur, dat enim ei omnem potestatē, realiter & cum effectu. nam extincta rhomana dominatione, euāgeliū ubiq; gentium propagatum est, & idololatria uetus ubiq; locorum extincta. Neq; nos mouere debet, quòd multi postea iterum rebellarunt, & derelicto Christianismo, Mahometani facti, aut in alias impietates relapsi sunt, hoc enim maiestatem & imperium Christi non minuit, sed augustiora etiam reddit. cum paulo post, magna cum gloria affuturus sit, atq; hos rebelles, uere extremo supplicio affecturus, id quod ipse de se pulcherrima similitudine testatus est, Lucę decimonono, ubi dicit. Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnū ac reuerteretur. Ciues autem eius (qui nō possunt intelligi, nisi qui aliquando crediderunt) oderant eum, & miserunt legationem post eum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos, &c. reuersus autem, post alia, dixit: Inimicos illos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & occidite coram me. Regnum igitur Christi quod in hoc mundo obtinet, credentes uerbo et spiritu suo gubernans, incredulos autem uarijs plagis admonitos, aut emendans, aut incorrigibiles ad inferos

detrudens, est regnum æternum, quod extremo iudicio purgabitur ab omnibus scandalis, & sic deinceps neq; auferetur neq; corrumpetur. Caue autē, ne quisquam tibi persuadeat, Danielem hoc in loco de extremo iudicio loqui. Nam hic iudicat Pater de quatuor bestijs, in extremo iudicio pater non iudicabit quenquam, quia omne iudicium dedit filio, ut iudicet uiuos & mortuos. Hoc iudiciū factum est in cælo, ignorante mundo, illud fiet in terris, præsente toto mundo, angelis atq; diabolis. Hoc iudiciū factum est Christo è terris unà cum nubibus cæli ad patrē profecto, illud fiet, eodem Christo, cum nubibus cæli & maiestate magna à patre in terras iterum reuerso. Deniq; nihil est in hoc loco Danielis, quod ad extremum iudicium torquere possis, nisi uelis totam uisionem obscurare & deprauare. D A. Accessi ad unum de astantibus, & ueritatem quærebam ab eo de omnibus his, qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me. Hæ quatuor bestiæ, quatuor sunt regna quæ consurgent de terra. O S. scilicet Babylonicum, Persicum, Græcum, & Rhomanum, ut supra dictum est. D A. Suscipient autem regnum Sancti dei altissimi, & obtinebunt regnum, usq; in seculum, & in seculum seculorum. O S. scilicet finita priore urbis Rhomæ dominatione, non solum Christus regnabit, ut supra dictum est, uerumetiā sancti eius cum eo, quia semel declarata Christi diuinitate, per propagationem Euan

gelij & deiectionem ueteris idololatriç, cœperunt esse Christiani magistratus, & deinceps omnia imperia tenentur illi obedire. Porrò cum Christus regnet non ui & armis, sed uerbo et spiritu suo, nec tamen ipse coram loquatur, sed tantum, per sanctos suos: sequitur sanctos quoq; regnare cum Christo, quia uerbum et uoluntatem Christi, docent et interpretantur sancti, Ideo Christus dicit: Qui uos audit me audit, et qui uos spernit me spernit. Itaq; quicquid unus quilibet ex minimis Christianis uere sanctis, per uerbū Christi, & spiritum eiusdem docuerit, iusserit, aut prohibuerit, hoc etiam summi in mundo monarchæ, non magis contemnere, aut transgredi debent, quàm si Christus ipse coram id illis præciperet, Et nisi obedierint, haud dubie pœnas dabunt, siue in hac uita siue in futura. Nota autem, quòd Daniel hos sanctos, uocat altissimos (ita enim est in hebræo) quasi dicat, non de quibuslibet sanctis loquor, sed de ueris & cælestibus sanctis, qui uerbo Christi & spiritu eius sanctificati sunt. Nam sunt quidam sancti externa quadam sanctitate, quia rasi, & oleo uncti sunt, quorum multos sanctissimos in Christo patres appellamus, cum sint execrabiles, & abominatio coram deo. DA. Post hoc uolui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis ualde omnibus, & terribilis nimis. Dentes & ungues eius ferrei, comedebat et comminebat, & reliqua pedibus suis conculcabat. Et de cornibus decem,

quæ habebat in capite, & de alio quod ortum fuerat, coram quo ceciderant tria cornua, de cornu scilicet illo, quod habebat oculos, & os loquens grandia, & maius erat cæteris. Aspiciebã & ecce cornu illud faciebat bellũ aduersus sanctos. O S. Aspexerã dicere debuit interpres, scilicet anteaquàm bestia morti adiudicata esset, cætera omnia ex supradictis clara sunt. D A. Et præualebat eis donec uenit antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis excelsis, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti. Et sic ait. O S. scilicet Angelus ille unus de assistentibus. D A. Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit uniuersam terram, & conculcabit & cõminuet eam. Porro cornua decem, ipsius regni decem reges erunt. O S. More hebræo, decem proconsules, Rhomanum orbem, cum summo imperio administrantes, decem reges uocat. D A. Et alius consurget post eos. O S. scilicet Cæsar monarcha. Oportet autem per hoc cornu, in caput mutatum, omnes Rhomanos Cæsares, continua successione imperantes intelligere, sicuti per unum quodlibet decem cornuum omnes proconsules, continua successione, eandem prouinciam regentes necessario intelligimus. D A. Et ipse potentior erit prioribus, & tres reges. O S. .i. tres consulares summũ imperium gerentes, duos scilicet Consules Rhomanos urbis, & Pompeiũ. D A. Humiliabit. O S. Vides hic, quòd non Decar

chiam diſſoluere, ſed tantum perſonas deuincere debebat, ut humiliati, cõcederent illi dominatum regiũ, ut Cicero appellat. DA. Et ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimos conteret. Et putabit, quòd poſsit mutare tempora & leges. OS. Id eſt, opprimere & extirpare Chriſtianam religionem, dicit enim, זמנין ודת id eſt tempora, & morẽ religionis. Tempora autem uocat, fatales rerũ ſucceſſus, uniciuiq; tempori debitos. DA. Et tradentur in manu eius uſq; ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. OS. Hoc more ſcripturæ ſacræ intelligendum eſt, non quòd unicum illud cornu, oculos, & os habens, tam diu durauerit, ſed tota Rhomanæ urbis dominatio, ab incunabulis ſcilicet urbis conditæ, uſq; ad finem dominationis prioris. Quemadmodum & in libro Iudicum ſcriptura loquitur, capite tertio. Fecerunt filij Iſrael malum in conſpectu domini, & obliti ſunt dei ſui, ſeruientes Baalim & Aſtaroth, iratusq́; dominus contra Iſrael, tradidit eos in manus Cuſan Raſathaim, regis Meſopotamiæ, ſeruieruntq́; ei octo annis. Et clamauerunt ad dominum, qui ſuſcitauit eis ſaluatorem, & liberauit eos, & quieuit terra, quadraginta annis. Hic enim nequaquam eſt intelligendum, quòd poſt liberationem, pacem habuerint continuos quadraginta annos, ſed hoc totum, quòd peccauerũt, quòd obliti ſunt dei, quòd ſeruierunt idolis, quòd traditi ſunt hoſti, quòd clamauerunt, quòd liberati ſunt,

& ali

ſpecie religionis, ſuperſtitione, & falſis miraculis incrementum accepit. In qua deſcribenda Iohannes in Apocalypſi diligentiſsime uerſatur. hoc unum ueluti ſcopum nobis proponens, quòd dominatio urbis Rhomæ, poſtq́ꝫ ſemel cecidiſſet, prorſuſq́ꝫ extincta eſſet, denuo ac nouo modo ab interitu emerſura eſſet. Cum autem urbem Rhomam nuſquam aperte nominare uellet, ne perſecutionem eccleſiæ, quæ iam tum atrociſsima erat, aſperiorẽ redderet, duo neceſſario facit, Primo diligentiſsime deſcribit, qualis ante priorem caſum ſuum fuerit ea beſtia, ſeu dominatio, quam palam nominare non uult, quæq́ꝫ poſt caſum ſuũ & omnimodam internitionem, tam celeriter iterum rediuiua inualuerit, ut omnibus circunſtantijs diligentiſsime expreſsis, ſolo nomine ſuppreſſo, nos quã certiſſimos redderet, quòd de urbe Rhoma loqueret̃. Secundo artificioſiſſime depingit nobis, omnes poſterioris dominationis conditiones, quid cum priore habitura ſit commune, & quid non, ut eam diligenter cognitã, uelut portas inferorum, & barathrum æternæ damnationis effugeremus. Nec contentus fuit, hac tam diligenti pictura, quam capite decimotertio nobis propoſuit, uerum etiam interpretationem, quam ab angelo, inſtar Danielis accepit, capite decimoſeptimo ſubiungit, quam nos breuitatis cauſa, narrationi eius, interſeremus, Sic autem dicit. IOH. Vidi de mari beſtiam aſcendentem. OS. Hanc beſtiam capite decimoſeptimo ite-

mo iterum uidit, & angelus eam interpretatus est dicens: Bestia quam uidisti, fuit, & nō est. id est, fuit quidem qualem eam Daniel descripsit, sed non est, quia imperium ei iam tum diuinitus erat abrogatum, sicut supra audiuimus. sed quia cœleste illud dei patris decretum de Christo nondū executioni mandatum erat, ideo angelus paulo post adhuc clarius dixit, fuisse eā, & non esse, quanquā sit, καίπερ ἔστιν, scilicet, ut quę certæ internitioni destinata, nondum tamen omnino funditus esset extirpata. IOH. Habentem capita septem, & cornua decem. OS. Hoc quoq; interpretatus est angelus ita inquiens, Hic est mens, quæ habet sapientiā. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt, & (paulo post inquit) mulier quam uidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum, super reges terræ. Igitur septem capita duplicē habent interpretationem. Primo enim significant septem montes, siue colles, quos urbs Rhoma intra muros suos complexa fuit. Septē quæ una sibi muro circundedit arces, ut Virgilius inquit. Et hæc est una de insignioribus notis urbis Rhomę, quòd supra septem montes ædificata sit, quod quidem de nulla alia urbe totius mundi unquàm fando auditum est. Secundo, septem capita, significant septem reges. Sed quia decē cornua, etiam significant decem Reges, quæ res confusiònem uidetur facere, ideò diligenter quærendum est discrimen idoneum, & cum rei ueritate consentiēs,
quod

quod quidem statim deprehenditur in interpretatione angeli, qui de septem regibus dicit, quinque cecidisse unum esse, & ultimum nondum uenisse, unde manifestum est, hos septem reges successiue regnasse. De decem regibus autem inquit, hi potestatem una hora accipient, id est simul regnabūt, quisque in suo loco, sicuti decem proconsules in priore urbis dominatu. Sed hic sciendum est, & diligētissime notandū, quòd in talibus mysterijs, Rex non significat unam singularem personam, sed omnes reges, sibi continua serie succedentes, quamdiu forma regnandi non mutatur, sicut Danielis undecimo. Rex Austri significat omnes reges Ægypti à Ptolemæo Lago, usque ad Cleopatrā, & Rex aquilonis, significat omnes reges Syriæ à Seleuco Nicanore, usque ad Antiochū Epiphanem. Quare hic quoque ita accipiendi sunt. Manifestum est autē, urbem Rhomā in priore dominatu, habuisse septem capita, id est septem genera regum seu summi imperij successiue. Principio enim reges constituunt primum caput, deinde consules, secundum, postea Decemuiri scribendarum legum causa, cum summo imperio creati, tertium, item Dictatores, quartū, Triumuiri uerò post Iulij cædem, quintū, Cæsares monarchæ, sextū, Tandem Imperatores externi, qui de familia Cæsarū non erant, septimum caput cōstituerunt. Vnde angelus recte ac clare loquitur cum dicit: Quinque ceciderunt, id est Reges, Consules, Decemuiri, Dictatores,

 & Tri-

& Triumuiri præterierunt, sextus est, id est monarchia Cæsarum iam uiget. Nam S. Iohannes hæc sub Domitiano Cæsare conscripsit. Septimus autem nondũ uenit, quia nullus adhuc externus imperator, creatus erat. Decem autem cornua, id est decem reges, qui simul in diuersis locis, & non successiue in uno loco regnaturi dicuntur, fuerunt in priore dominatione, pro consules, in hac autem posteriore, sunt decem regna, quæ urbem Rhomam, ut caput omnium ecclesiarum agnoscunt, scilicet Hispania, Portugallia, Gallia, Anglia, Scotia, Dania, Polonia, Bohemia, Hungaria, & regnum Rhomanum. Fuerunt autẽ aliàs alia, alijs subinde cadentibus, & alijs emergentibus, semper tamen circiter denarium numerum uersantur. IOH. Et super cornua eius decem diademata. OS. Quia summo imperio prædita sunt. IOH. Et super capita eius nomen blasphemiæ. OS. Audierant enim ex prophetis & Sibyllis, olim regnum, quòd æternum esset, in terris oriturum, nimirum regnum Christi, uerum hoc ipsum illi suo regno Rhomano adaptabãt, Vnde Iupiter apud Virgilium, Imperium sine fine dedi, & iterum, his ego nec metas rerum nec tempora pono. Magna aũt blasphemia est, laudẽ & Maiestatẽ æterni imperij, filio dei debitam, impiæ Rhomanæ urbis tyrannidi arrogare. Poteram alia dicere de hac blasphemia, sed quia certum est, nullum ex his septem capitibus, in posteriore dominatione conspici, sed tantum

octauum, ut infra audiemus. non debebant basphemiæ posterioris, attribui capitibus prioris. IOH. Et bestia quam uidi, similis erat pardo, et pedes eius sicut pedes ursi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi draco uirtutem suam, & sedem suam, & potestatem magnã. OS. Sicut enim draco princeps huius mundi uocatur à Christo, & regnat sub cælo cum alijs spiritibus nequam, rectoribus harum tenebrarum, spiritualiter & inuisibiliter, ita dat uirtutem, sedem, & potestatem suam huic bestiæ, ut & ipsa draconis istius instinctu secundum morem & uoluntatem eius, regnet etiam corporaliter & uisibiliter. IOH. Et uidi unum de capitibus eius quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata fuit. OS. Hoc caput, est monarchia Cæsarum, quæ orta est in C. Iulio Cæsare. Quo à coniuratis, uiginti tribus uulneribus confosso & occiso, uidebatũ monarchia funditus euersa & peritura, quod tamen factum non est, sed conualuit, & iterum stabilita fuit in Octauiano Augusto. IOH. Et admiratio fuit in uniuersa terra post bestiam, & adorauerũt draconem qui dedit potestatem bestiæ, & adorauerunt bestiam dicentes, quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea. OS. Sicut supra dixi, fama sparsa erat in toto orbe terrarum, eaq; originem ex prophetis & Sibyllis duxerat, oriturum esse circa illa tempora in terris regnum æternum, quod quidem impijs uisum fuit in monarchia Rhomana impletum esse, præser-

tim cũ tam probe eſſet ſtabilita, & totus orbis tam fœliciter pacatus, ideoq́ꝫ putauerunt illud ſingulari conſilio ſummi dei eſſe factũ. Sed uerus deus, uoluit hanc gloriam & Maieſtatem æterni imperij filio ſuo ſeruare, non urbi Rhomanæ donare. Quare factum eſt, ut cum impij in cordibus & cogitationibus ſuis adorarent eum deũ, qui Rhomanã monarchiã ſtabiliuiſſet in æternum, non adorarent uerum deum, ut ſibi uidebant. deus enim uerus nequaq́ꝫ ſtabiliuerat imperium Rhomanũ, quod paulo poſt perdere cogitabat, ſicut prophetæ prædixerant, & exitus probauit. Sed adorabant Satanã, qui hanc portentoſam opinionẽ de æterno Rhomanæ urbis imperio ſparſerat in mundum, quiq́ꝫ monarchiã eiuſdẽ ideo promouerat, & poteſtatem ſuam illi dederat, ut per unũ, facilius & crudelius ſæuiret in Chriſtianos. Si eñ ſumma rerum penes Senatũ manſiſſet, nunq́ꝫ tanta rabie in Chriſtianos à Satana concitati fuiſſent, quanta deinde Nero, Domitianus, & ſimiles in eos debacchati ſunt. Adorauerũt etiã beſtiã, quia imperiũ diuinitus conſtitutũ putabant, & Cæſares deificabant, aut turpiſsima adulatione, aut extrema cæcitate. Cum eñ dicunt: Quis ſimilis beſtiæ? hoc dicunt, hæc beſtia deus eſt. De ſolo eñ uero deo dici cõuenit: Quis ſimilis tui dñe? Cũ aũt dicunt: quis poterit pugnare cũ ea, dicunt eam inuictã, & diuinitus conſtitutã. Quia aũt pugnæ mentionem facit, inſinuat nobis, ſe hactenus urbẽ Rhomã depinxiſſe per notas

prioris dominationis, quia posterior pollet non armis bellicis, sed fuco. Itaq; S. Iohannes hactenus nihil aliud dixit, quàm quòd illa urbs, quæ sit ædificata, super septem montes, & habuerit septem genera summorum magistratuū, imperiumq; in decem prouincias, seu regna distributū, quæq; blasphema præsumptione putauerit se perpetuo ac in æternū regnaturā, in qua potentissima monarchia Cæsarū contra uoluntatē S. P. Q. R. magna omnium admiratione sit orta, & cū eadem letaliter esset sauciata, tamen ita fuerit restituta et stabilita, ut res imperitis & impijs diuinitus geri uisa sit, illa inquā urbs, postquam omni illa dominatione omnino fuerit exuta, ac prorsus extincta: post interitū tamen suum, iterum sit emersura, ac Satana illam potentem reddente, atq; in perniciem humani generis, maximo Christianorū armāte, nouo modo ad summā sit dominationē peruentura. quod quidē paucioribus & clarius potuisset dicere, si uoluisset urbē Rhomam aperte atq; palā nominare, uerū id ecclesiæ tum, ut diximus nō expediebat. Restat igit̃ ut nunc audiamus, qualis q̊modo emerserit. Non eñ omnino talis emersit qualis antea fuit. Hoc aūt angelus ille uisionis interp̃es, clarissime nos docet cū dicit, bestia quam uidisti fuit & nō est, & ascēsura est de abysso, & in interitum ibit, id est, in æternā damnationē, cuius causam post audiemus, & mirabunt̃ inhabitantes terrā, quorū noīa scripta nō sunt in libro uitę à cōdito mundo, uidentes

bestiam

bestiam, quæ fuit & non est, scilicet, quũ iterum emerserit. Sicut enim gentes olim admiratę sunt monarchiã Cæsarum, ita superstitiosi & impij nunc admirantur hanc posteriorem dominationem urbis Rhomanæ, sed pergit angelus & dicit. Hic est mens quæ habet sapientiam, septẽ capita, septem montes sunt, super quas mulier sedet, & reges septem sunt, quinqꝫ ceciderunt, unus est, & alius nondum uenit, & quũ uenerit, oportet illum breue tempus manere. Et bestia quæ erat, & non est, ipse octauus est, & de septem est, & in interitum uadit. Hoc est, bestia illa quæ fuit & non est, quando iterum emerget, nullum habebit illorum septem capitum. oportet enim ea omnia prius cadere, & sic bestiam penitus interire, antequam posterior dominatio Satana excitãte oriatur, neqꝫ enim in posteriore urbis dominatione, uel reges, uel consules, uel decemuiri, uel dictatores, uel triumuiri, uel Cæsares Rhomæ regnabunt, sed Octauus, id est Papa solus, qui tamẽ dicitur è septem esse, quia Imperatoribus externis, qui ultimum caput inter septem fuerunt, multis in rebus ualde similis est, Hoc uno autẽ maxime differt, quòd cum illi ciuiliter regnarint, & uerbum dei tantum armis impugnarint. Iste sub specie religionis regnat, & sub prætextu interpretationis, doctrinã Christi adulterat ac peruertit, sacramenta eius suis additionibus & abusibus contaminat, doctrinas dæmoniorum stabilit, et ut filius perditionis, cũ omnibus sequacibus.

ô hor=

& aliquandiu pacem habuerunt, gestum est quadraginta annis. Similiter & hic de Rhoma, nequaquã est intelligendum, quòd unicum illud cornu tam diu durauerit, ac sanctos afflixerit. sed hoc totum, quòd Rhomanum imperium ortum est, quòd adoleuit, quòd in decem consularia imperia distributum fuit, quòd monarchia Cæsarum in eo extitit, quòd ea religionem Christianam, plusquam trecentis annis atrocissime impugnauit, quòd ob hoc â deo cęlesti iudicio damnatum fuit, & tandem extinctum. hoc inquam totum gestum est, per tempus & tempora, & dimidium temporis. Certum est autem, quòd hac forma loquendi significet tres annos & dimidium, nõ tamen sine causa eos separauit. Nam Hebræi agunt annos, non solares, sed lunares, ex duodecim mensibus, hoc est trecentis quinquaginta quatuor diebus constantes, quos tamẽ mense intercalari, tertio aut quarto anno, ad Solares restituunt. Porrò neq; unus, neq; duo anni, intercalarem admittũt. Vult igitur eos intelligi, sine mense intercalari, hoc est mille ducentos, quadraginta circiter dies. Verum Daniel in huiusmodi mysterijs, non uulgari bus diebus & annis utitur, sed angelicis, ut supra in tertia coniectura prolixe indicauimus. Cuius certissimũ argumentum extat in fine duodecimi capitis, ubi unus angelus ab alio quærit, usq; quo finis horum mirabilium? et ille iuratus per uiuentẽ in æternum respondit כי למועד מועדים וחצי, id est, usq; ad tempus tem-

porum & dimidium. Nequaquam enim in eo loco legendum est, usq; ad tempus & tempora & dimidiū, sicut uulgati codices habent, sed sicut nos interpretamur. Est autem sententia angeli, quòd à tertio anno Cyri usq; ad finem omnium mirabilium, quæ in ea uisione reuelata sunt, et usq; ad Christum, qui finitis illis mirabilibus statim uenturus erat, elapsurum sit, tempus temporum, & dimidium, id est annus annorum & dimidius, hoc est sesquiannus angelicus, qui comprehendit ciuiles nostros, quingentos triginta duos, si ad annum lunarem respicimus. Est em̄ annus annorū, qui componitur, non ex trecentis quinquaginta quatuor diebus, sed ex totidem annis uulgaribus. Certū est autem ex Ptolemæo, ab initio regni Nabuchodonosoris, qui ab eo Nabopollassar uocat̄, usq; ad natiuitatem Christi fluxisse annos ciuiles sexingentos uiginti quinq; ferè, A quibus si dempseris decem nouē, ante destructionem Ierusalem, & septuaginta captiuitatis, & tres primos annos Cyri, relinquētur quingenti triginta duo anni, & aliquot menses, qui exacte faciunt tempus temporum & dimidium. Cum igitur manifestum sit, Danielem in huiusmodi mysterijs explicādis, angelicis diebus, & annis uti, ac contra, cum uulgare tempus uelit intelligi, redigat illud in dies, & addat, uespere & mane, uti ne angelicum tempus intelligamus. non est dubium, quin hoc loco quoq; angelicos annos oporteat intelligi, præsertim cum etiam ex

augurio Romuli prædictum à Vectio non ignobili augure sit. quia urbs Rhoma centesimum uigesimū annum incolumis prætерijsset peruenturam ad mille ducentos. Est igitur sententia Danielis, urbem Rhomam sub monarchia Cæsarum, persecuturam ecclesiā dei uiuentis, & dominaturā, donec cōpleat ætatis suæ annos angelicos tres & dimidiū, id est, ciuiles annos mille ducentos quadraginta ferè. id quod re ipsa exacte completum uidemus. Nam circiter annum urbis conditæ millesimum septuagesimum, Imperialis Maiestas è Rhoma Constantinopolim translata est, Et si quos urbs Rhoma deinde habuit occidentales imperatores, illorum tamē origo, & authoritas, à Constantinopolitano imperio pendebat, Vt Rhoma tum non tam corpori uiuo, quod seipsum regeret, quàm cadaueri emortuo, cuius funus & sepultura, ab alijs curaretur, similis esset. Deinde circiter annum urbis millesimum centesimum sexagesimum quartum à Gothis duce Alaricho, capta, direpta, & incensa est. Postea circiter annum millesimum ducentesimum octauum, à Genserícho iterū capta ac spoliata est. Ad extremum. Anno urbis, millesimo ducentesimo uigesimo nono, in tantam infœlicitatem ac contemptum, miserę Rhomanæ urbis reliquię deuolutæ sunt, ut Augustulo occiso, ne dominum quidem, hoc est imperatorem occidentalem, amplius habere digna esset. tantum absuit ut ipsa, ueteri more alijs dominaretur. Et hic fuit extre

mus

mus & fatalis exitus, seu dissipatio quædam potius, monumenti atq; cinerum urbis Rhomæ, & dominationis eius prioris, sicut à Daniele prædictum erat. D A. Et iudicium sedit. O S. Scilicet, cum diu sancti oppressi fuerint, à cornu illo. D A. Vt auferatur potentia. O S. Quartæ scilicet istius bestiæ. D A. Et conteratur & dispereat in finem. O S. Id est omnino ac funditus. D A. Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum altissimorum, cuius regnum sempiternum est, & omnes reges seruient, & obedient ei. O S. Hæc supra satis declarata sunt. D A. Hucusq; finis uerbi. O S. Hactenus de priore dominatione urbis Rhomæ, quæ durauit iuxta Danielem, annis angelicis tribus cum dimidio, iuxta uerò suum ipsius augurium, annis milleducentis, quod ferè idem est. Nunc de posteriore urbis Rhomæ dominatione, ex Apocalypsi & Paulo, audiemus, Et eodē modo, ut supra, ubi necesse fuerit, interloquemur. Atq; hic statim cogites uelim Christiane lector, quanta astutia Satanę sit, qui cum intelligeret priorem urbis Rhomæ dominationem aliquando funditus euertendam esse, diu ante, aliam & longe diuersam, eiusdem urbis dominationem adornarit, ac ita instruxerit, ut antequā illa prior omnino expiraret, ista posterior, iam propemodum matura & adulta esset. Cū enim prior illa urbis Rhomanæ dominatio ui & armis ualuerit, hæc posterior

(ô horrendam uocem) ad interitū uadit sempiternū. Sed audiamus iterum Iohannem de sua uisione ulterius loquentem. IOH. Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias. OS. Hæc uerba, non amplius pertinent ad notationem præteritæ dominationis, sed pingunt qualis futura sit bestia, postquam iterum emerserit. non enim dicit, habuit os, sed datum est ei os loquens magna & blasphemias. Magna autē loqui, hebræa phrasi, est Thrasonice de seipso gloriari. quod quidem Papa facit, dum iactat se uicarium Christi, dum se Soli, imperatorem uerò Lunæ comparat, & similia infinita. Loquitur autem blasphemias, dum piam doctrinam & rectum usum sacramentorum damnat, dumq́ falsam doctrinam, & superstitiones propagat, quorum enumeratio non est huius instituti. Et hac in parte bestia sibi similis manet, nam & in priore dominatione, fuit os loquens grandia. IOH. Et data est ei potestas faciendi menses quadraginta duos. OS. Hic caput rei est, propter quod hæc omnia tractamus. Et in hoc quoq; posterior hæc dominatio priori similis est, quæ tempus & tempora, & dimidium durauit. uerum sicut illic angelica tempora, ita & hic angelicos menses intelligere necesse est, quorū quadraginta duo constituunt mille ducentos sexaginta dies angelicos, hoc est totidem annos nostros ciuiles, uel, quod idem est, angelicos annos tres & dimidium, id quod ex duodecimo capite Apocalypsis cla-

rum est, ubi idem tempus, primum mille ducentorũ sexaginta dierum determinatur. Postea tempus, tempora, & dimidium appellat. Sed animaduerte, quòd Iohannes non Iudaicum annum respicit, sed mensem Rhomanum, qui triginta dierum est. nam quòd aliquibus in Calendario Rhomano mensibus, unus & triginta dies ascribuntur, fit propter quinque dies intercalares, alioqui uerus mensis tantum habet uiginti nouem, & dimidium ferè, sed seponamus hæc paulisper. Interim mihi mirari subit, ac omnino uehementer & supra modum admirari, qui fieri potuerit, ut non dico homines eruditi, sed rudes & illiterati, qui tantum uel unicam micam humanæ rationis adhuc reliquam haberent, adduci potuerint ut hæc omnia, quæ Iohannes hic, & Paulus ad Thessalonicenses, de hac bestia uaticinati sunt, intra spacium trium & dimidij annorum ciuilium, perfici posse crederent, cum sint eiusmodi, ut si iam perfecta sint & de uerbo ad uerbum perscripta, indefessum lectorem requirerent, qui ea intra tres annos perlegeret. nam omnino impossibile est, ut talia gesta triennio uiua uoce per totum Christianum orbem diuulgarentur, tantum abest, ut triennio perfici possint, aut quadriennio, etiamsi Antichristus exercitum haberet uolatilem. Sed ingratitudo humani generis meruit, ut tanta cæ-

ta cæ-

ta cæcitate plecteretur, eo quòd beneficia Christi non agnouerit. Sed hac de re paulo post plura, cum ad Paulum uenerimus, nunc ad propositum. IOHANNES. Et aperuit os suum in blasphemias contra deum, ut blasphemaret nomen eius & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant. OSIANDER. Nemo potest blasphemare uerbum dei, ut non idem blasphemet etiam nomen dei, Papa autem multipliciter blasphemat uerbum Dei, dum usum utriusque speciei à Christo institutum, damnat ut hæresim, dum coniugium sacerdotibus prohibet, dum quosdam cibos interdicit, & doctrinam dæmoniorum stabilit. Cum Paulus clare dicat, Episcopus sit unius uxoris uir, Item omnia munda mundis. Papa igitur blaspemat nomen Dei. Quid autem sit blasphemare tabernaculum dei, & eos qui in cælo habitant, clare intelligitur ex nono capite Danielis, ubi de Antiocho ita uaticinatur. De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum, & magnificatum est usque ad fortitudinem, (siue arcem, seu tabernaculũ) cæli, & deiecit de stellis, & conculcauit eas. certum est enim, quòd intelligat templum Dei, & sanctos in populo Israel. Itaque Papa etiam ecclesiam Dei, & sanctos eius blasphemat, dum dicit, nulli esse spẽ salutis, nisi sit sub Papatu, cum hic clare dicatur, nulli esse

 spem

ſpem ſalutis, qui maneat ſub papatu. Sed infinita ſunt huius generis, & aliam tractationẽ requirunt. IOH. Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & uincere illos. OS. Tanta uis eſt mendaciorum, preſtigiorũ, falſæ & fucatæ doctrinæ, falſorum miraculorum, & hypocriſeos Papatus, ut etiam uere ſancti uideantur uicti, dum eos Papa damnat, & hæreticos declarat. Quod quidem, niſi diligenter memoria teneamus, fieri nõ poteſt, ut non horreamus eius blaſphemias. Sed quia non blaſphemat ullos malos, ſicut res ipſa quoqꝫ teſtatur, ſed tantum, deum, eccleſiam, & ſanctos eius, gaudere, & exultare debemus ab eo blaſphemati. Cõtingit enim nobis in teſtimonium, quôd cum illa abominabili beſtia, nihil habeamus commune. IOH. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem. OS. Hoc interpretatur angelus, cum dicit, Decem cornua quæ uidiſti, decem reges ſunt, qui regnũ nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges una hora accipient cum beſtia. Hi unum conſilium habent, & poteſtatem ſuã beſtiæ tradent, Id eſt, ſicut prima dominatio decem prouincias conſulares habuit, ita & ſecunda dominatio, cum beſtia iam inualuerit, decem reges (ut ſupra dixi) ſortietur. Nam quod antea fuit unicum imperium Rhomanum, iam in decem regna diuiſum eſt, quorum unumquodqꝫ ſuum habet regem. Qui quidem tempore Iohannis regnum nondum acceperãt, quia & beſtia ipſa

non

nondum emerserat, sed accepturi erant, una hora cum bestia, id est, eodem tempore, scilicet ut non unus post alium regnaret, sicut septem capita, sed omnes, simul & eodem tempore, sicut re ipsa uidemus. Hi autem uno consilio siue γνώμῃ potestatem suã Papæ tradunt. id est, tacito consensu, & omnino fortuito agnoscunt eum pro uicario Christi, & subijciunt se ac suos illi, & ita nanciscitur bestia potestatem in omnem tribũ, populum, linguam, & gentem, quatenus Christianus orbis patet. Nam cum sub prætextu religionis dominetur, non potest se potestas eius extendere ad infideles.
IOH. Et adorabunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro uitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. OS. Deus, qui diues est misericordia, propter nimiã charitatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui in peccatis, cõuiuificauit nos qui uere credimus in Christum, & considere fecit in cælestibus, ut Paulus ad Ephesios inquit. Ergo cum Papa nos blasphemat, blasphemat eos qui in cælis habitant. Quorum autem nomina nõ sunt scripta in libro uitæ, hi in terris habitant, quia terrena sapiunt, Ideo etiam bestiam adorant. IOH. Si quis habet aurem audiat, qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem uadit, qui gladio occidit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum.
OS. Hoc uult dicere, Si quis ex ijs quę iam dicta sunt nondum intelligit, quæ sit ista bestia, hoc saltem intel-

ligat, si modo aures habet audiendi. Vbi uere sancti propter fidem, & sanã doctrinã Christi, in captiuitatẽ ducentur, aut gladio ferientur, aut alio quouis modo occidenť, quod quidẽ fiet sine pudore, ac omnino manifeste (nam hac nostra ętate multi occisi, multi incarcerati sunt, tantũ qui eucharistiam sub utraq; specie acceperunt) ibi est regnum huius bestiæ, quam deus ita odit ac detestať, ut omnino uelit ei remetiri eadem mensura, qua ipsa sanctis metitur. Dicet em̃ suo tempore, Reddite illi, sicut & ipsa reddidit uobis, duplicate ei duplicia secundum opera eius. Poculo quo miscuit uobis, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. IOH. Et uidi aliam bestiam, ascendentem de terra. OS. Significat & hæc bestia, sicut aliæ omnes, regnum quoddam, non unius hominis, sed magnæ alicuius colluuiei, conspiratione quadam, & consensu, quasi in unum corpus coagmentatæ. Quæ autem sit ista bestia, Iohannes ipse interpretatur capite decimono, ubi uocat eam, Pseudoprophetam, qui fecit signa coram bestia. Significat igitur hæc bestia, cateruam, colluuiem, coniurationem, & regnum omnium pseudodoctorum in toto Papatu, & dicitur hęc bestia ascendere de terra, ut distinguatur à bestijs ascendentibus è mari. Aqua enim crassius longe elementum est quàm aer, ideo & crassiora producit animalia,

malia. Sicut autem aquæ significant populos, turbas, & gentes crassioris ingenij, in quibus uigent, amor uoluptatum, & libido regnandi, ita terra significat homines subtilioris ingenij, ut qui non in aqua sed in aere creati sunt ac uersantur. Oritur itaque hæc bestia, ex hominibus eruditis & ingeniosis, sed impijs, quorum Rhomæ maxima multitudo est. IOHAN. Et habebat cornua duo, similia agni, & loquebatur sicut draco. OSIANDER. Agnus Christus est, qui pugnat non gladio corporali, sed cornibus spiritualibus, id est uerbo suo, quod bifariam diuiditur, scilicet in uerbum legis, quod est uerbum iræ, & mortis, & in uerbum euangelij, quod est uerbum gratiæ & uitæ. Ita & hæc bestia, siue pseudopropheta, habet duplicem doctrinam, quam uocant doctrinam fidei, & doctrinam bonorum morum, sed utranque erroribus contaminatam. Itaque retinent speciem, quasi sint Christiani doctores, & doceant uerbum Dei, quia cornua illorum sunt similia agni. Sed reuera loquuntur sicut draco. Draco autem siue Satan, Christo teste, in ueritate non stetit, sed est mendax & pater mendacij, & cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, ita & hi pseudodoctores non steterunt in syncera doctrina Christi, sed loquuntur sua ipsorum somnia, & cogitationes, ex proprio sensu. IOHANNES. & potestatem prioris bestiæ omnem facit in

conspe

conspectu eius. OS. Hæc bestia ex pseudodoctoribus conflata, administrat, & defendit regnum Papæ, ipse uerò, omni cura solutus, perpetuo deliciatur & triumphat, ut Itali loquuntur. IOH. Et facit terrā et inhabitantes in ea adorare bestiam primam. OS. Scilicet quæ Rhomę dominatur, quia primatum eius docēt esse iure diuino, quod falsum est. IOH. Cuius cu rata est plaga mortis. OS. Sicut gentes olim admiratæ sunt monarchiæ Rhomanæ inuictam stabilitatē ut supra dixi, ita cum iam Rhoma cecidisset, & per Papatum sese iterum erexisset, superstitiosi & impij, quorum nomina non sunt scripta in libro uitæ, admirari cœperūt papatus, seu primatus Rhomani pontificis, inuictam maiestatē, & cogitarunt, Deum Rhomanam monarchiam ideo stabiliuisse, ut tandem in Papatum euaderet. IOH. Et facit signa magna, ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram, in conspectu hominū. OS. Sanctus Paulus epistola ad Thessalonicenses secunda, capite secundo, hæc signa, uocat signa & ꝓdigia mendacia, quia partim sunt mera præstigia, ut, quando perforant imagines ligneas, & infusa aqua, faciunt eas lachrimare, aut quando cancros fluuiatiles, affixis cereolis ardentibus per noctem in locis oportunis, permittunt errare, ut appareant stultis animæ defunctorum esse, quæ igne purgatorio crucientur, id quod ego scio quosdam fecisse, partim sunt mera mendacia, ut quando imaginibus lachrimantibus,

bus affingunt, etiam loquutas fuisse, aut animas per certum numerum missarum è purgatorio liberatas esse, cum cancros scilicet iam non amplius emittant. Verum ista signa mendacia, tantam in stultis uiris & fatuis mulierculis deuotionem excitant, ut ignis spiritus sancti uideatur, per illorum falsam doctrinam & falsa miracula, magna fiducia deprædicata, in corda istiusmodi hominum superstitiosorum esse delapsus. IOH. Et seducit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestię, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & uixit. OS. Ex ista multiplici mentione & repetitione plagæ letalis, quæ tamen curata est. satis apparet eam quoq; in utraq; dominatione pariter inueniri, sicut & os loquens ingentia, & decem cornua, item Gog & Magog. Nam ij de quibus Ieheskiel uaticinat̃, ad priorẽ dominationẽ pertinẽt. illi autem de quibus Iohannes meminit, in posteriore tandem reperientur, & alia pleraq;. Itaq; sicut monarchia Cæsarum in C. Iulio Cæsare, per gladium ferreũ omnino uidebatur extincta, & tamen reuixit, ita etiã monarchia Papæ, per gladium spiritus, quod est uerbum dei, letaliter uulnerata fuit in mortem, cum Christus omnibus apostolis, etiam Petro dixerit: Reges gentium dominantur earũ, uos autem non sic. Et Concilium Affricanum decreuerit, ex eodem uerbo dei, quòd nullus episcopus, ac ne Rhomanus quidẽ pontifex,

h tifex,

tifex, debeat appellari princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, uel uniuersalis pontifex, dist. 99 c. Primae. Quis aūt credidisset, dominationē hanc à Christo primū, deinde etiā à Cōcilio, publice & iuste damnatā, & iugulatam, uicturā fuisse? & tamen hac plaga gladij spiritualis accepta reuixit. Ideoq́ꝫ pseudodoctores fingunt iam, eam esse iuris diuini, ac persuadēt hominib. ut imago eius fabricetur. Sicut aūt imago dei, est uerbum dei, ita imago Papatus, est uerbū & doctrina Papę. Sedet eñ in tēplo dei, ostendēs seipsum tanq̄ꝫ deū. Quare & in hoc deum imitat̃, quòd uerbū et doctrinā è suo cerebro gignit ad imaginē suā. Cum igit̃ doctrina Papatus, quā isti pseudodoctores docent, duplex sit, scilicet, fidei, et morū: necessario compilati sunt duo libri, scilicet, liber Sententiarū, & liber Decretorum & Decretalium, qui sunt ipsissima imago Papatus, omnem eius formam, fidem, uitam, & mores, ad uiuū exprimentes. Itaqꝫ iam satis clare apparet bestiā hanc posteriorem cōflatā esse ex doctoribus scholasticae Theologiae, magistrū sententiarū uersantibus, sacris literis ita neglectis, ut pleriqꝫ eorū biblia sacra ne habuerint quidem, et ex doctoribus canonū, sordida decreta Paparū tractantiū, inter quos Inquisitores haereticae prauitatis merito supremū locū obtinent, & capitis uicem agunt. Hi omnes duplici hac doctrina Papatus instructi, tanq̄ꝫ duobus cornibus pugnāt, & defendūt regnū Papae. IOH. **Et datū est illi, ut daret spiritū imagini** bestiae

bestiæ ut loquatur imago bestiæ. O S. Hoc est, bestia posterior, ex pseudodoctoribus cōflata effecit, ut imago seu doctrina Papatus acciperet spiritū, ut uiueret & loqueret. Quia consilijs, conspirationibus & suasionibus suis effecerūt, ut doceret in omnibus Scholis, et ut regnaret in cōcionibus, in foro ecclesiastico, & in cōscientijs hominū. Hoc em̄ uere est, uiuere & loqui doctrinā, cum publica authoritate nō solū docet, uerum etiā secundū eam, uiuitur, iudicat, et regnatur. Atq; hic apparet, cur colluuiem pseudodoctorū, bestiā, id est regnū quoddā esse dicat. Quia regnū planè nō uulgare, in ecclesia obtinēt, adeoq; firmū ac terribile, ut eos etiā prior illa bestia, metuere cogat. Ideoq; nemo Doctor Theologiæ, aut Canonū in Papatu creatur, nisi prius inter cætera, etiam in hæc uerba diserte iuratus fuerit, ad defendendum, & retinendū Papatum Rhomanū. contra omnes homines adiutor ero, Quod dū faciūt, uere potestatem prioris bestiæ omnem coram ipsa, id est, ad nutū & beneplacitum eius faciunt, ut supra dictum est. I O H. Et faciet, ut quicunq; non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur. O S. Quisquis hanc Papatus doctrinam non uerbo dei æquauerit, id est adorauerit, ab inquisitoribus, hæreticus iudicatur, & nisi reuocauerit, exuritur. Audet enim Rhomanus pontifex dicere, omnes suas constitutiones sic accipiendas esse, ac si diuina uoce ex ore Petri apostoli ꝓcederent, dist. 19. ca. Sic, I O H A N N E S. Et facit omnes

pusillos & magnos, diuites & pauperes, liberos & seruos, accipere characterem in manu sua dextera, aut in frontibus suis. Et ne quis emere aut uendere posset, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius, Hic sapientia est, qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus eñ hominis est, & numerus eius, sexcenta sexaginta sex. O S. Characterem bestiæ accipere, sermo metaphoricus est, pro eo, quod est, sese externa specie aliqua, aut factis aliquibus ita gerere & conformare, ut omnes uideant & intelligant eum ad familiam bestiæ pertinere, & bestiæ subditum atq; deuotum esse, Quemadmodum aulici ferè omnes, in uestibus characterem principis sui habent. Character autem bestiæ, & numerus bestiæ, & nomen bestiæ, pro eodem ferè ponuntur. Et iubet eos qui intelligunt ea, quæ hactenus dicta sunt, computare numerum nominis bestiæ, ut si inueniant in eo nomine præcise numerum sexcentorum sexaginta sex, tum certi fient, se habere huius bestiæ cognitionem ueram, & neutiquam fallacem. Insinuat autem se ad linguam hebræam respicere, sicut alibi quoq; facit, in nomine angeli, qui אבדון, id est, Abaddon uocatur, & in nomine loci, qui חרמגדון, id est, harmageddon appellatur. Nam ספר. i. Sepher, significat hebræis librum, scripturam, & numerum. Ideo tam uarie ludit, nunc nomen bestiæ, nunc numerum bestiæ, nunc characterem, id est scripturam bestiæ appellans. Admo-

nui

nui autem te lector ſupra in Daniele, ut numerum hebræi nominis quartæ beſtiæ diligenter cōſiderares, nam omnes literæ hebræorum certos numeros deſignant, nec habent ullas notas numerorum niſi literas tantum, Itaq; apud illos, omnis ſcriptura, & omnis dictio eſt numerus quidam. Porrò cum hæc beſtia uulgatiſsimo nomine, in hebræa lingua dicatur מלכות רומיית, id eſt regnum Rhomanum, ſitq; hoc nomen מלכות, id eſt regnū, illi cum reliquis beſtijs commune, manifeſtum eſt omnibus, uerum ac proprium nomen huius beſtiæ eſſe, רומיית, id eſt Rhomanū. Iam uero in hac dictione, רומיית, præciſe inuenies numerum ſexcentorum ſexaginta ſex. Nam litera ר denotat ducenta, ו ſex, מ quadraginta, י decem, altera י etiam decem, et ת quadringenta. Et hic uides, quanta diligentia beatus Iohannes curauerit, ne non intelligeremus eum de Rhoma loqui, cum tamen Rhomam nuſquã uoluerit aperte nominare. Vocat autem hoc nomen beſtię, numerum hominis, uel quia eſt nomen notum. quo omnes homines uulgo utūtur, uel quia eſt ab homine, id eſt à Rhomulo ita nominata. Huius igitur nominis characterem in fronte ſuſcipere dicuntur, qui toto habitu externo, & ſtatim prima fronte, ut aiunt, præ ſe ferunt, quòd Rhomano pontifici ſubditi ſunt, ut monachi cucullati, & ſacrificuli raſi. In dextera autē manu characterem gerunt, qui certis aliquibus operibus teſtantur, ſe obediētes eſſe Papæ ut certis diebus,

non uesci carnibus, cõfiteri in quadragesima, &c. nam ad talem externam speciem obedientiæ omnes coacti fuerunt ab ipsa statim pueritia. Qui enim talem characterem non habebant, nec recipere uolebant, excommunicabantur. Quòd si contemnebant, tandem etiã ciuilis usus & consuetudo hominum illis interdicebat. Quod si uulgus eos uitare non uolebat, omnia diuina officia, interdictu Rhomani pontificis, in eo loco, quo uersabant, cessabant. Itaq; reuera, neq; emere neq; uendere poterant, quicunq; characterem hunc Rhomanũ nòn habebant. Porrò ut etiã de posteriore fine et interitu abominabilis huius bestiæ, aliquid intelligamus, adducam adhuc pauca uerba Angeli uisionem hanc interpretantis. Qui dicit: Decem cornua quæ uidisti, decem reges sunt, hi cum agno pugnabunt, id est sanã doctrinam persequentur, partim propter ignorantiã, quia à Papa seducti sunt, partim in gratiam Papæ, cui ualde placere cupiunt. Et agnus uincet eos, quia dominus dominorũ est, & rex regũ, & qui cũ illo sunt uocati & electi & fideles, Hoc est, nõ solus Christus pugnabit, uerũ etiã uocati, electi, fideles. Atqui tales non pugnant gladio sed uerbo Dei, & iustis argumẽtis ex eodem petitis, hoc tẽpore inprimis, quo post tricesimum ecclesiæ iubileũ, Christus iterũ incipit prædicare, ut in tertia coniectura diximus. Et reges paulatim uincent, sicut iam nunc nõnulli reges ac principes uicti sunt, & ueritati agnitę maxima cũ laude cesserunt. Itaq; optima spes est etiã reliquos tandẽ euidentissimæ ueritati

cessuros, si modo nos fortiter pugnauerimus. ex quo tandē sequetur, ut meretricē, id est Rhomanā Curiam odio ꝑsequant̄, propter ipsius abominationes & seductiones, & eam desolatā faciant & nudā, & carnes eius comedāt, id est diuitias eius, et substātiā diripiāt, et ipsam, scilicet urbē, igne cremēt, sicut etiā prius fuit cōcremata. Deus em̄ (inquit angelus) dedit in corda eorū, ut faciant quod placitū est illi, et ut unā faciant uoluntatē, ut dent regnū suū bestiæ donec consument̄ uerba dei. Hic mihi lector diligenter perpendas uelim, uerba angeli; sunt em̄ notatu dignissima. Nam cū supra de decem regibus dixerit, eos unū consiliū, id est γνώμην habere, ut scilicet, uirtutē & potestatē suā bestię tradant, nō dicit illud esse cōsiliū seu γνώμην dei, hic uerò, cum dicit eos meretricē spoliaturos, & igne exusturos esse, dicit hoc deū dedisse in corda eorū, ut faciant γνώμην seu cōsiliū ipsius. Nam ꝙ Papā extulerūt, id fecerūt consilio & placito suo ꝓprio & priuato. quòd aūt paulo post, spoliabunt & exurent, id facient cōsilio & placito dei, utrunq; tamē, scilicet quòd aliquādo extulerunt, & ꝙ aliquādo spoliabūt, fluit ex occulto iudicio dei. Primū em̄, quòd Papā scilicet extulerūt, & illi uirtutē & potestatē suā dederūt, fecerūt quidē cōsilio priuato, q̄d eò tamē ualuit, ut cōsumarent̄ uerba dei, quæ spiritus sanctus ꝑ os Pauli apostoli prædixit, scilicet ꝙ quia caritatē ueritatis pleriq; nō essent recepturi, ut salui fierēt, ideo missurus esset illis deus oꝑationē errorū, ut credāt

mendacio, & iudicent omnes qui nō credunt ueritati, consentiunt autem iniquitati. Postremum autē, quòd Papam scilicet spoliabunt, & urbem igni uastabunt, non facient, donec illis hoc deus per uerbum suum in corda ipsorum dabit, ac eos ita illuminabit, ut intelligant, se recte, atque ordine facere, ac uoluntatem Dei implere, Papatum funditus euertendo. Proinde, nemo speret, Turcam instrumentum fore, ad euertendū Papatum, ut plerique stulte somniant, Satanas enim nō eijciet Satanam, sicut Christus testatur. Neque quisquam, qui non sit è numero decem illorum regum, Papam temere aggrediatur, aut bello petat, datū est enim illi uincere sanctos, donec impleantur uerba dei, quæ iam ferè impleta sunt omnia. Quin hoc uel maxime pertinet ad ignominiam, miseriam & confusionē abominandi Papatus, quòd per eos ipsos, per quos est stabilitus, & in quibus confidit, quosque defensores suos falso præsumit & prædicat, tandem radicitus extirpabitur, idque cum summo gaudio sanctorum omnium, qui ob hoc ipsum, in hunc hymnū coram deo prorumpent, ac canent: Salus, honor, gloria, & uirtus, domino deo nostro, quia uera et iusta iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram prostitutione sui, & uindicauit sanguinem seruorum suorū de manu eius. Hæc ex Iohanne dicta, sufficiant. Audiamus & Paulum Thessalonicensibus in secunda epistola ita scribentem. PAVLVS. Rogamus autem

tem uos fratres, per aduentū domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in illum, ne cito dimoueamini à uestro sensu, neq; turbemini, neq; per spiritum, neq; per sermonem, neq; per epistolam, tanquā per nos missam, quasi instet dies Christi, ne quis uos decipiat ullo modo. Quoniam non adueniet Dominus. O S. Scilicet ad iudicium extremum. P A V. Nisi uenerit discessio prius. O S. Qua prouinciæ à Rhomano imperio desciscant, & regnum Rhomanū deficiat, & pereat. P A V. Et reuelatus fuerit homo peccati, & filius perditionis. O S. Id est Papa Rhomanus. P A V. Qui aduersatur, & extollitur, supra omne quod dicitur deus, aut quod colitur, ita ut in templo dei. O S. Id est in ecclesia. sicut alibi dicit, templū dei sanctum est, quod estis uos. P A V. Sedeat. O S. Id est Cathedram, seu docendi ac regendi functionem occupet. P A. Ostendens se tanquam sit deus. O S. Canonistæ enim eius, dicunt eum non esse purum hominem, sed assumptum à deo in plenitudine potestatis. P A. Num retinetis, quòd cum adhuc essem apud uos, hæc dicebam uobis? O S. Eadem scilicet, quæ & Iohannes in Apocalypsi scripsit. P A. Et nunc quid detineat scitis, ut reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis. O S. Quia episcopi Rhomani cum clericis suis carnalibus, (pauci enim ex eis fuere boni) iam tum à tempore apostolorum, aspirauerunt occulte, ad dominationem, qua successu

temporis totam ecclesiam oppresserunt. Vide episto- lam Zephirini, & Pontiani, & similes libris recogni- tionis Clemētis annexas, & intelliges, quàm mature, qua arte & uersutia hoc mysteriū inceperint operari, non tamen palā erumpere audebant, & re ipsa sibi do minationē uendicare, quādiu monarchia Cæsarū Rhomæ uigebat. P A. Tantū ut qui tenet, teneat, donec è medio fiat. O S. Monarchia Cæsarū & imperatorum qui summā rerū obtinent (inquit) obtineāt, donec è medio fiat, id est, donec Cōstantinopolim discedat, uel do nec dominatio prior urbis Rhomæ, omnino desierit. P A. Et tūc reuelabit̃ ille iniquus. O S. Id est tūc emerget caput octauū, Papa scilicet, sicut supra dictū est, in Iohanne. P A. Quē dominus cōficiet spiritu oris sui. O S. Id est uirtute uerbi sui, ꝙ post tricesimū ecclesiæ iubilæum, iterū publice, et magno spiritu prædicabit̃. P A. Et destruet illustratione aduētus sui. O S. Quia sicut Solem præcedit diluculū, & aurora, ita & aduentum dñi nostri Iesu Christi qui est Sol iusticiæ, præcedet illustratio prædicationis euangelij. Dicit em̃ Christus Matthei uigesimo quarto. Prędicabit̃ hoc euangelium regni (scilicet ꝙ Christus sit rex noster, non Papa) in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet cōsumatio, hæc aūt illustratio euangelij prædicati destruet dominationē Papæ, sicut iam incepit, amen. Non em̃ durabit, usq; ad Christi aduentum, alioqui q̊modo impleretur, q̊d de decē regibus à Iohanne dictū est: quòd scilicet, hanc bestiā desolatā,

& nudã sint facturi, carnes eius comesturi, & ipsam tandem igne cõbusturi, idq; Deo illud in corda illorũ inspirante? P A. Cuius aduentus est secundũ operationem Satanæ, in omni uirtute & signis & ꝓdigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt. O S. Hæc est Sanctissima Sanctitas Sanctissimi domini Papæ. P A. Eo ꝙ charitatẽ ueritatis non receperunt, ut salui fierent, Ideo mittet eis deus operationẽ erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitati, Hæc Paulus de posteriore dominatiõe urbis Rhomæ & de Papatu illius uaticinatus est, Quare exite de illa populus Christi, ne participes sitis delictorũ eius, neue de plagis eius accipiatis, ut Angelus in Apocalypsi 18. cap. nobis præcepit. Verum caue Christiane lector, ne quicq; horũ, quæ de hac bestia dicũtur, ad imperatorẽ regni Germanici, pertinere putes. est enim legittimus magistratus, à deo ordinatus, & minister dei, ut Paulus ad Rhomanos scribit. Quod aũt imperator Rhomanus dicitur, cum tamen Rhomã non possideat, nec illuc aspirare, sine Papæ consensu audeat, factũ est extrema nequicia serpẽtis, & eius uicarij scilicet Papæ, ob hoc ipsum, ut siquis ex his iã declaratis oraculis aliquid contra nequiciã & intolerabilẽ dominationẽ Rhomanensium mutire auderet, uideretur etiam contra Imperatoriam maiestatem dicere. Verum res ipsa, iam satis euidens discrimen inter Imperatorẽ &

PAPAM attulit, ut nihil periculi metuendum ſit amplius. Sed redeamus aliquando ad coniecturam noſtram. Cum igitur beſtiæ, iam iterum emerſæ, datum ſit, tyrannidem ſuam exercere menſibus Rhomanis, (qui ex triginta diebus cõſtant,) numero quadraginta duobus, hoc eſt diebus mille ducẽtis ſexaginta, & res ipſa nos cogat dies angelicos intelligere, hoc eſt annos ciuiles noſtros mille ducentos ſexaginta. dubitari non poteſt, quin illis expletis, conſumatio ſtatim ſit uentura. Sed dubitari poteſt, à quo tempore hi anni initium ſumant. Et ſunt qui putent, ſtatim à tempore Conſtantini magni ordiendum eſſe, propter donationem, quam Papæ Sylueſtro feciſſe fertur, & propter translationẽ ſedis imperialis Conſtantinopolim, eo quòd Paulus dicat, cum is qui tenet, è medio fit, tum reuelabitur ille homo peccati. Et ſanè, ſi donatio Cõſtantini nõ eſſet ficta, ſed reuera facta, nullus relinquereť dubitationi locus, quin ab eo ipſo donationis die, numerus ille annorum fatalis incipiendus eſſet. Et optarim omnino eſſe ueram, tunc enim finis fatalis illius temporis, atq; Papatus, incideret in annum domini circiter Milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum ſextum. Sed mihi non fit uériſimile, Nam uel ſtilus ſolus inſtrumenti ea de re confecti, ſatis arguit, mendacium omnium, quæ ſub cælo extiterunt, impudentiſsimum. Id quod Laurentius Valla uir doctiſſimus & Nicolaus de Cuſa, item Hieronymus Catalanus,

nus, & alij grauissimi uiri, iam olim luculentissime ostenderunt. Proinde & si Constantinus fecerit initiũ tollendi è medio dominationem, quæ Papatui obstabat, tamẽ quia bestia tum nondum omnino perierat, non recte diceretur emergere, nisi prius omnino submersa esset, Itaq; recte incipiemus numerare ab eo anno, quo post translationem imperij, à Gothis duce Alaricho Rhoma capta, direpta, & incensa est. Is enim uerus finis est prioris dominationis eius iuxta Danielem. Hoc autem factum est anno urbis circiter millesimo centesimo sexagesimoquarto. Anno uerò Christi, circiter quadringentesimo duodecimo, adde igitur annos Christi quadringentos duodecim, & annos Papę mille ducentos sexaginta, & colligetur summa annorum, Mille sexcentorum septuaginta duorum. cumq; totidem à Christo numerabimus, tum impendebit Papæ, & urbi Rhomæ fatalis interitus. & hæc coniectura facit, ut annos à cælesti Adamo ad diluuium igneum, in secunda coniectura, & annos iubilæos ecclesiæ in tertia coniectura, non à natiuitate domini, sed ab eius resurrectione numerandos esse censeam. Nam ante illud tempus formam serui gessit, ut qui diceret se uenisse, ut ministraret, nõ ut illi ministraretur. A resurrectione autem uere regnum suum auspicatus est, cum diceret: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ita enim fiet, ut finis utrorumq; cadat in annũ domini circiter Millesimum sexcentesimum octogesimum

mum octauum, cum Papæ interitus uerisimiliter cadat in annum domini circiter Millesimum sexcentesimum septuagesimumsecundum, ut Papatu perempto, & extincto, adhuc supersint anni circiter sedecim, quibus homines, aduersario Christi sublato, & euãgelio prædicato, iterũ incipient esse securi, & pergręcari, more solito. Et cum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, & sicut dolor parturientis, & non effugient. Igitur uigilemus & sobrij simus, ne nos dies ille tanquã fur, in nocte comprehendat. Hæc in præsentiarum, de Coniecturis ultimorũ temporum, ac de fine mundi in lucem edere uolui, cætera enim nõnulla, sunt eiusmodi, ut multitudini nondum uideantur communicanda. His autem, quantũ tribuendum sit, spiritualibus, qui omnia iudicant, & à nemine iudicantur, existimandum relinquo. Coniecturæ sunt, fateor, non oracula, sed tamen nisi fallor, haud temere fallent.

VENI DOMINE IESV.

ΝΑΙ. ΕΡΧΟΜΑΙ ΤΑΧΥ.

AMEN.

Erratula pauca typographorum negligentia admiſſa, Sic corrigito.

b iij	fa.1. uerſu 18.	pro ediderint, lege ederint	
c ij.	fa.1. uerſu 15.	pro reperturum, lege reperturũ	
c iiij.	fa.1. uerſu 23.	pro ſad, lege ſed	
f iiij.	fa.1. uerſu 16.	pro maximo, lege maxime	
g iij.	fa.2. uerſu 6.	pro qui, lege quia.	